BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
33 C
7 M

ABRAHAMI ECCHELLENSIS MARONITÆ.

Chriſtianiſſimi Regis Linguarum Syriacæ, & Arabicæ Interpretis, ac earundem in alma Pariſienſium Academia Profeſſoris Regij.

EPISTOLA APOLOGETICA PRIMA.

In qua diluuntur calumniæ, ac impoſturæ quamplures aduerſùs Syriacam Libelli Ruth Editionem, & ejus Latinam Verſionem, à Magiſtro VALERIANO DE FLAVIGNY Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis Doctore, ac Socio Sorbonico, Inſignis ác Metropolitanæ Remenſis Eccleſiæ Preſbytero Canonico, & in alma Pariſienſium Academia Sacrarum Hebraïcarumque Literarum Profeſſore Regio, congeſtæ.

Ad eundem VALERIANVM, *vt tandem aliquando ſua, tùm aliena curet.*

Stulti cùm aliena facta conſpiciunt, hæc eis omnia reprehenſibilia videntur, ſuæque imperitiæ, atque infirmitatis obliti, tantò intentiùs de alienis judicant, quantò ſua profundiùs ignorant.

S. Greg. Mag. lib. 11. Moral. cap. 15.

M. DC. XLVII.

VALERIANO
DE FLAVIGNY.

ABRAHAMVS
ECCHELLENSIS
MARONITA.

SATIS ſuperque, imò frequentiùs, quàm velim in mentem venit, VALERIANE, quibus me verbis apud Inſignem pietate Virum, muſarumque alumnum, Illuſtriſſimum Dominum Bignonium Regium in Supremo Galliarum Senatu Oratorem, exceperis, quæque illo coram mihi pollicitus fueris: hoc eſt aliena planè ab ijs, quæ nunc præſtas, ne dicam ἐξωϛρακισμένα. Quod verò te modò phanaticum afflauerit numen, aut

quo percitus œſtro aduerſùm me inſurrexeris;prorſùs me latet.Quod enim affers, & vt cauſam tui excandeſcentis in me animi obtendis, VOLVSIANÆ tuæ Epiſtolæ pag. 3. & 4. longè à ſanæ, & ingenuæ mentis homine eſt abſonum. Dicis quippe: *Et quid ibi fuerim tibi pollicitus, dum me petulanter aggreſſus es in diſceptatione de Sacro-Sanctæ Editionis Hebraïcæ authentica veritate, quæ tuâ nihil intererat.*

Petulanter te aggreſſus ſum, VALERIANE, dum tibi ſolùm dixi, locum illum Præfationis Magnorum Bibliorum Clariſſimi Viri D. Le Iay immortalitate digniſſimi, quem ipſe minimè laceſſitus Stylo aculeato, ac virulento perſtrinxeras, quòd Hebraïcam veritatem ex tua interpretatione, & opinione impugnaret, aliter poſſe èxponi, & mitiorem habere ſenſum? Tuam, & grauiſſi-

morum virorum,qui aderant,appello fidem, ſi quid aliud tibi dixerim, quod tantam bilem excitare potuerit: cùm tu ſic me minis, & clamore inſequereris, vt mihi, rebuſque meis multùm timendum putarem. Quamobrem dixi ſuppliciter orans:

Hæc Deus in melius crudelia ſomnia vertat,
Et jubeat trepidos irrita ferre notos.

Noui, & quidem benè, illum furorem meis hiſce verbis tunc excitatum non fuiſſe in corde tuo, quod dicto citiùs tot emiſit flammas, vt nec tot Ætna; Sed fotum dudum, conceptum, ac ſollicitatum, tandem verò excuſſum; & ſolùm

Hoc prætexit nomine culpam,
Magnoque irarum fluctuat æſtu.

Nihilo tamen minùs tuæ cauſæ, VALERIANE, honeſtam adtexere niteris anſam.

Sed mane, quæſo, pauliſper, animique turbatos depone motus, &

& iras, ac Chriſtianam indue charitatem, videbiſque, an peſſima cauſa meliori innitatur patrono, an ingenuo. Dic nunc, amabo: Quis ſuperiore anno te erat aggreſſus petulanter, aut quocunque alio modo, vt peſſimè, indignè, ac falsò, (quemadmodum infrà tibi, ac candidis veritatis cultoribus conſtabit) me acciperes in Epiſtola ad Clariſſimum Virum de FLEVRY Doctoré, ac Socium Sorbonicum, Virdunenſis Eccleſiæ Preſbyterum Canonicum, ac Sereniſſimæ Poloniæ Reginę à confeſſionibus? An tecum tunc temporis diſceptaueram? An petulanter eram te aggreſſus, aut tuam ſic decantatam Hebraïcam veritatem? An vel de facie me noueras, niſi ſemel, cùm in ædibus Sorbonicis vrbanitatis causâ te, Humaniſſime FLAVIGNANE, ſalutatum adiueram? Tamen te non puduit falsò, ac,

vt ait D.Hieronymus in Epiſtola ad Paulam, & Euſtochium, *relictâ conſcientiâ alienam opinionem ſequendo*, hęc in me iactare pag.16. *Porrò libello Ruth obſtetricatus eſt*, inquis, *Abrahamus Ecchellenſis Maronita, nuper Româ Pariſios aduocatus, vt violatis omnibus æquitatis, ac juſtitiæ juribus debitam Clariſſimi Gabrielis Sionitæ laboribus gloriam præriperet*, ac alia hujuſmodi atrociora, de quibus ſuo loco. Quo ergò jure aſſeris, quòd *nihil* meâ intererat? niſi velis omnium cauſarum cognitionem ita ad te, quaſi ad ſupremum judicem, attinere, vt pronunciatâ à te ſententiâ omnibus imponatur ſilentium, nec liceat ab illa prouocare. Quo jure innumeris, ac enormibus me cumulas, & afficis conuiciis inſontem? Cur conuenimus apud illuſtriſſimum Bignonium, niſi vt vir ille diſertiſſimus ſuâ ſapientiâ &

pietate tuos libellos aduerſùs D. Le Iay, & aduerſùs me ſupprimeret? Tuo tamen iudicio Flauignano nihil meâ intererat? Ecquis non videt, niſi cœcus, non aduertit, niſi penitùs ſtolidus, te rerum ordine peruerſo, cùm hæc aſſeras, & futiles prætexas cauſas, effecta ſuis præponere cauſis, & veteribus ſollicitationibus nouas adtexere occaſiones, & anſas, quæ plus æquitatis non habeant, quàm lupi ad Agnum apud Æſopum, querelæ? Quid veriùs, te amabo, dici hîc potuit, quàm illud Senecæ in prouerbiis, *malè facere qui vult, nuſquam non inuenit cauſam?* Hæc in me ſcripſiſti, VALERIANE, anno ſuperiore, quia iſto anno te petulanter eram aggreſſurus. Argumentum ſanè, ac vaticinium aliquo Prophetarum Achab ſcilicet dignum potiùs, quàm homine probo, aut benè ſano! Injuriis me

me afficis ipſe antequam me noueris, tùm confidenter, ac perfrictâ fronte pronuncias: *dùm me petulanter aggreſſus es.* O cæcam animi efferati libidinem! Quàm appoſitè Arabum tibi quadrat dictum illud in homines exhauſto rubore ac tui ſimiles compoſitum: ضربني وبكي سبقني واشتكي Ideſt, *Percuſſit me, & fleuit, anteceſſit, & me accuſauit.* Hoc fortè præſtas, VALERIANE, quia adhuc benè loqui non didiciſti, vt de quodam ſimili obtrectatore dixit olim Socrates. Et ſanè argumenti huius euidentiſſimum indicium eſt, quòd nullus hactenùs ex præclariſſimi atque acerrimi ingenii tui fœcundiſſima officina editus ſit fœtus niſi viperinus, & qui aliena facta vel mordeat, vel lethali inficiat veneno.

Digitized by Google

Sed ne longiùs abeam, aut te diutiùs dubium, & ancipitem detineam, de re ipſa propiùs cõſeramus manus, vt doctis indoctiſque ſimul perſpectum & compertum ſit, quis noſtrum æquus ſit vel iniquus, quis proximum iniuſtè aggreſſus, ac quis tandem iniuriarum, falſitatis, impoſturarum, ac non ferendæ arrogantiæ ſit Architectus. Latinam eloquentiam, & ornatus omnes tibi, vt alienigena, relinquo penitùs, & quamquam ſciam, ac ſatis benè ſciam, vltróque fatear, me non ſolùm tibi in hac parte non eſſe parem, ſed nec proximè accedere: tamen *verba innocenti reperire facile eſt*, inquit Curtius lib. 6. *Et illud deceptionis perſpicuum eſſe argumentum*, docet Agathias, *quòd qui falſâ perſuadere velit, majori quodam verborum ornatu, ac varietate indiget.* Quamobrem ſat mihi illud

ratus ſum in hac pugna tecum.

Dummodò pugnando ſuperem, tu vince loquendo.

Epiſtola itaque tua ad duo capita facilè reduci poteſt. Primum blaſphemiis ſcatet, ac turget conuiciis: Alterum verò notationes in Libellum Ruth continet.

Ad primum autem quod attinet, tua judaïca modeſtia ac pietas, Humaniſſime FLAVIGNANE, ſummoperè eluceſcit, vt alia cætera loca nunc omittam, ex iis verbis, quæ in me retuliſti ex cap. 7. D. Matthęi ver. 3. & 5. nempe, *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere feſtucam de oculo fratris tui.*

Quomodo autem Sacro-Sancti Euangelii verba deprauaſti, & illuſiſti hoc in loco, ac Sacra immiſcuiſti profanis, ne expectes à me,

vt illa ſecundùm ſacrilegam emendationem tuam hîc referam, ſolùm enim meminiſſe animus horret, luctuque refugit; quamobrem non in meis, ſed in tuis ſcriptis id legatur. O acerrimum Hebraïcæ veritatis Propugnatorem! Hebraïcus Textus vbi verbum aliquod inhoneſtum occurrit, honeſtis velat verbis; tu verò Hebraïcæ Linguæ Profeſſor, illiuſque Textûs importunè ad ſtomachum vſquè defenſor ac rabula, Sacro-Sancti Euangelii Sacro-Sancta verba impietate inauditâ, turpas, fœdas, & ſpurcè illis abuteris; ex quo liquidò apparet, quos mirabiles progreſſus in pietate, & lectione Sacrarum Scripturarum, quas crepas ſemper, feceris. Ex verbis tùis, FLAVIGNANE, quiſnā ſis, optimè cognoſcimus, quia, *qualis homo eſt, talis etiam ejus erit oratio, orationi autem facta ſimillima, factis*

vita, vt ex Socrate refert Cicero lib. 5. qu. Tuſcul. Idem de Orat. *Quoties quid aut dicimus, aut loquimur, toties de nobis judicatur.* Quandoquidem, vt Democritus aiebat, ſermo eſt εἴδωλον τοῦ βίου, quædamque veluti vmbra: quâ quidem ſententiâ nihil veriùs dici poteſt; nam nullo in ſpeculo meliùs expreſſiúſque relucet figura corporis, quàm in ſermone pectoris imago repræſentatur. Celebratur propterea ac plurimùm apud Arabes illud Pſeudoprophetæ Mahometi pronuntiatū: الرجل مخبو تحت لسانه *Homo ſub ſuâ latet linguâ.* D. Hieronymus ſuper illud Ezechielis Fili hominis: *Pro ſigno ſunt*, inquit, *interioris hominis verba erumpentia, quomodo libidinoſum, qui celat ſua verba & vitia callidè, interdùm turpis ſermo demonſtrat.* Injuriam tibi faciet, mi

FLAVIGNANE, qui illud in te retorquebit Salluſtii dictum: *Quomodò enim, qui tam illoto ſermone vtitur, vita honeſtior eſt?*

Quæret verò aliquis: Quænam ſint verba illa à te VALERIANE deprauata, quæ tantarum querelarum dederunt anſam? Namque non omnes ea legere forſitan poterunt apud te.

Dicam (Nobilis Doctor) ſed non eâdem modeſtiâ, ne videar tibi imponere, ſimiliſue tui eſſe. Ex illa dictione versûs 3. *Oculo*, dempſiſti primam vocalem nempe, O, & eandem vocem verſ. 5. ita collocaſti, vt ejus prima vocalis ſit in calce præcedentis versûs, reliquum verò initio ſequentis, vt primæ è regione reſponderet, eandem referens formam.

At dices, error ejuſmodi tribui poteſt Typographorum incuriæ.

Mihi ſatisfactum eſſet, ſi hujuſmodi errores in tuis ſcriptis committi poſſe patereris; ſed cùm aliena ita mordicùs dilaceres, & notes, oportet, vt tua ab ejuſmodi mendis immunia eſſe credas, ac velis. Nam *juſtè alios reprehendit*, vt ait D. Auguſtinus in Pſalm. 5. *qui non habet quod in ſe alius reprehendat.* Alia duo ad hujus rei confirmationem, mihi ſuppetunt argumenta, & rationes. Primum, Si eſſet mendum Typographicum nequaquàm à te, modeſtiſſime VALERIANE, ferendum, ſed iterùm foliolum illud excudendum erat, ne tam obſcœnum mendum prodiret in lucem. Alterum, pag. 76. primæ Epiſtolæ excuſum eſt, *Tum*, pro *Tuum*: quod mendum licet nullius momenti, calamo tamen reſtituiſti, & pag. 3. Epiſt. 3. pro *nuper*, habetur nuper *per*, quod etiam men-

dum eodem modo correxiſti. Ex quo non intellectûs error ille cenſendus eſt apud te cenſorem tàm emunctæ naris, & qui tàm ſubtiliter carpis aliena, ſed malignæ voluntatis, ac corruptiſſimæ, & quæ

vetito temerat ſacraria probro.

Adhuc mirari ſatis non poſſum tuum, VALERIANE, genium, ac judicium perſpicaciſſimũ, & quàm appoſitè, & ad rem ſcripturarum vteris auctoritatibus. Locus ille D. Matth. cap. 7. vti planiſſimum eſt, eos notat, qui aliena vel facta, vel ſcripta carpunt, vti genius tibi eſt, qui nullũ hactenùs edidiſti fœtum niſi Momi *obſtetricantibus manibus*, non autem me, qui *mecum habito*, vt ipſe jubes, quique nullius opera, aut facta ſugillaui, aut detraxi cuiquam. Illis verbis, vti conijcio, cauſam forſitan deſignare vis Clariſſimi Viri D. Gabrielis Sionitæ,

cujus

cujus laboribus gloriam me præripere conari ſcribis Ep. 1. pag. 16. & Epiſt. 3. quam in me ſcribis pag. 6. Sed quàm falsò, & quàm perfido animo id à te aſſeratur, infrà videbis Epiſtolâ 2. nunc ſaluâ Chriſtianâ modeſtiâ, & veniâ poſtulatâ, quòd tua quocunque modo ſpurciſſima retuli corrupta verba, ad aliud me confero caput.

Alterum caput hujus controuerſiæ illud eſt, in quo menda, quæ me commiſiſſe obtendis in Verſione, & Editione libelli Ruth notas, & hâc excipis Præfatione.

Libellus Ruth, qui primus, ni fallor, ex omnibus ingenij tui fœtibus Arabicè ſimul, & Syriacè nec-non & Latinè prodijt, luculentiſſimum, ſi quis vnquam alius, perhibere debuit de tua ſumma ac ſingulari eruditione, nec-non & ſupereminenti Linguarum Orientalium peritia teſtimonium. Pro-

dijt enim pompaticè, & inſignem veluti triumphum agens, quòd ingenti iſti Bibliorum Operi, quod ante annos ferè viginti Lutetiæ Pariſiorum Hebraïcè, Græcè, Latinè, Chaldaïcè, Samaritanè, Syrè, & Arabicè paratum fuit, & adornatum, illuſtrem planè coronidem imponeret, & gloriam indefeſſis Clariſſimi Gabrielis Sionitæ laboribus debitam eriperet. Et tamen, quod vix ac ne vix quidem credidiſſemus, tot & tantis conſpurcatus eſt maculis, ac tàm fœdis erroribus, tuâ manu infœliciter obſtetricante, vt omninò mirum ſit, & ſæculis omnibus inauditum, eum, qui tantâ laborat inſcitiâ, audere adhuc inter eruditos, etiam Pariſijs caput attollere. Nempè, vt ego prætermittam Textum Arabicum, de quo nulla mihi fuit tunc temporis tecum controuerſia, pluſquàm quadraginta quinque mendas, eaſque grauiſſimas, in

ſolo primo ſuo capite nobis exprimere.

His ſummam tuam eruditionem oſtentas, veritatis Hebraïcæ Aſſertor inſulſiſſime, qui pauciſſimis verbis multa complecteris mendacia, & commenta. Quibus, ſi te Deus amet, demonſtras libellum illum pompaticè prodiiſſe? Ex Præfatione? nullam habet. Ex aliis ſcriptis? nequaquam poteris. Garris igitur tantùm, & imponis. Prætereà, quâ ratione, aut quibus modis eripit gloriam indefeſſis Clariſſimi Gabrielis Sionitæ laboribus debitam? Imò ſplendorem ipſis addit, cùm ex tua ſententia tot & tantis ſit conſpurcatus maculis, & tam fœdis erroribus, quippe oppoſita juxta poſita magis eluceſcunt. Sed agedum expendamus grauiſſimas mendas illas, quas tam venenato calamo notas.

Paginâ 8. ex capite primo verſu

2. hoc grauiſſimum notas mendum his verbis : *Hoc nomen proprium* ܐܶܠܺܝܡܰܠܶܟ *quod etiam tibi Latinè ſonat ex Hebræo* Elimelech , *barbarè ſcribis ac ineptè* ܐܶܠܺܝܡܶܠܶܟ

Hinc videre poterunt qui ſatis Hebraïcè ſciunt, quanta ea in lingua tua ſit eruditio. Vbi legiſti, Eruditiſſime FLAVIGNANE, in libro Ruth , aut alibi אֶלִימֶלֶךְ cum hujuſmodi punctorum notis ? Nullibi certè, quia hoc nomen hiſce punctis ſignatur apud Hebræos אֱלִימֶלֶךְ non autem quibus ſignaſti. Quod ego autem ita punctuauerim ܐܶܠܺܝܡܶܠܶܟ, ratio fuit, quia nomen illud ita ſcriptum ſæpiùs legi in Syrorum libris, & in ipſo autographo libri Ruth vocali *Phtoho* notata erat litera ܡ; Sed tu neque ſecun-

dùm Hebræos illud notas, neque ſecundùm Syros, neque tuæ punctuationis rationem reddis. Scias adhuc, nec nouum eſſe, nec inſuetum nomina propria, licet ab Hebraïca, vel aliqua alia lingua ſuam ducant originem, aliter ac aliter ſcribi, & diuerſis punctis affici aliis in linguis ad quas tranſeunt. Geneſ. cap. 20. ver. 2. 3. cap. 21. ver. 22. & alibi, ita ſcribitur hoc nomen proprium Hebraïcè אֲבִימֶלֶךְ *Abimelech*, tamen Clariſſimus Gabriel Sionita

ità Syriacè punctuauit ܐܒܝܡܠܟ

Abimelech, & Arabicè ſcripſit, &

punctuauit أبُومَالِكُ *Abumalecho.*

Nihilo tamen minùs ejus encomia, & laudes ad Sydera vſquè, & meritò quidem, attollis. Expende, Flavignane, ſodes, ſed irâ depoſitâ, & intermiſſo, ſi non ſedato planè

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

furore tibi innato, alia nomina, & videbis, niſi cæcutire ſponte velis, quomodò ſunt ſcripta, & punctuata Hebraïcè, & quomodò Syriacè, aut Arabicè. Cùm igitur neque Syriacam punctuationem noueris, neque Hebraïcam benè notaueris in vnico nomine, quem noſtrum pudebit poſt hàc inter eruditos Pariſiis caput attollere; Et quis noſtrum craſſum penitùs, & ſupinum commiſit mendum? Meritò ſanè objecerit tibi aliquis Horatianum illud,

Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum
Quàm aut aquila aut ſerpens Epidaurius.

Pag. 8. ex eodem cap. ver. 7. notas legendum eſſe, ܘܡܥܕܪܘܗܝ, pro ܘܡܥܕܪܘܗܝ. Fateor ibi vnam vocalem pro alia ſubſtitutam fuiſ-

ſe, ſiuè vnum punctum pro alio, quod vix euitari poteſt inter cudendum, niſi Lynceis oculis prælo præſis, FLAVIGNANE, qui tamen nunquam leue aliquod mendum aliorum corrigere potes, quin ipſe plura committas, & quidem longè craſſiora. Ad tuæ correctionis confirmationem hanc affers regulam: *Sciunt enim omnes*, inquis, *Linguæ Syriacæ Tyrones atque candidati, nomina quæ habent à capite literam* Mim *affectam puncto* Phtohho, *cum affixis primæ perſonæ ſingularis, & ſecundæ ac tertiæ pluralis vtriuſque generis, aſſumere ſemper punctum* Phtohho *ſupra penultimam.*

Sed quis hanc tibi tradidit regulam, nugaciſſime Syromaſtix, Syri omnes te ſuppliciter, vt dicas rogant. Nam infinita propemodùm ſunt apud illos nomina habentia à capite literam, MIM, affectam

Phtohho, quæ nullo modo in notatis à te perſonis recipiunt *Phtohho* ſuprà penultimam, vt illâ tuâ regulâ præcipis; pauca ex multis tibi affero, ܡܠܟܐ . ܡܘܬܐ . ܡܘܪܢܐ .

ܡܘܙܢܐ . ܡܫܟܢܐ . ܡܫܢܐ . ܡܠܟܬܐ .

ac ejuſmodi. Igitur vera regula ea eſt, quam tradit Doctiſſimus Georgius Amira lib. 2, ſuæ Grammatices cap. 15. de affixis nominum pag. 177. & Eruditiſsimus Iſaac Sciadrenſis in ſua elegantiſsima Grammatica part. alterâ cap. 14. de affixis nominum pag. 102. nempè nomina quinque, aut ſex literarum, quorum tertia & ſecunda quieſcunt, recipere ſuprà penultimam *Phtohho* in dictis perſonis, vel habeant à capite *Mim*, vel quamcunque aliam literam quocunque puncto affectam:

tam:

tam, vt: ܐܘܪܐ: ܡܘܪܙܐ. ܐܘܠܨܐ. ܟܘܟܒܐ. ܡܘܫܚܬܐ. ac omnia alia id genus. Hanc eandem regulam notaui quoque in meis Inſtitutionibus Linguæ Syriacæ Romæ editis ante annos circiter viginti, pag. 52. atque adeò non poteram illam punctuandi rationem ignorare; hinc mendum illud fuiſſe fortuitum patet, confirmaturque etiã ex Autographo in quo puncta illa ſatis appoſitè, & ſuis locis collocata cernuntur.

His imperitiam inſcitiamque omnibus palam facere non ſatis habuiſti, VALERIANE, ſed etiam exemplis eam illuſtrare voluiſti, aſſerens: *vt in his exemplis,* ܡܩܕܫܐ *Sanctuarium.* At ſi apud Scriptorem vllum Syrum manu-

ſcriptum, aut typis editum nomen illud eo modo depictum cum litera ,o, ante vltimam, oſtendere poteris, ô Cenſor luſcioſe, pœnâ qualibet plecti non recuſabo, ſin minùs, benigniùs te excipio, & ad Grammatiſtarum ferulas te remitto.

Eandem inſcitiam craſſam penitùs, ſupinamque imperitiam adhuc confirmare pergis, dum adducis idem nomen pro exemplo cum affixis ſecundæ ac tertiæ perſonæ pluralis maſculinæ, hoc modo

ܡܩܕܫܟܘܢ *Sanctuarium veſtrum*,

ܡܩܕܫܗܘܢ *Sanctuarium eorum*. Ad

quem te amandabo? Ad Grammaticos Syros, timeo ne peſſimè te accipiant, quod ita eorum linguam turpas, fœdas, & erroribus inſpergas; at ſine correctione te dimittere, æquum non eſt, ne alios tantâ

imperitiâ inficias, peruertaſque. Hem! Clariſſimi Viri Gabrielis Sionitæ judicio, & ſententiæ, ex cujus tam longa, & aſſidua conſuetudine tantoperè te profeciſſe teſtaris pag. 5. tuæ 3. Epiſtolæ aduerſùs me, te committo. Mihi quippè perſpectiſſimum eſt, atque compertiſſimum, nequaquàm tantum Virum te docuiſſe affixa ſecundæ, & tertiæ perſonæ pluralis maſculini generis proferri debere per *Zkofo* ܟܘܿܢ & ܗܘܿܢ, ſed per ܟܘܼܢ & ܗܘܼܢ, quæ ſunt præcepta tritiſſima tyrunculis. Reſipiſce igitur, mi VALERIANE, & tam faſtuoſam depone eruditionem, & *tecum habita, & noris quàm ſit tibi curta ſuppellex*, qui vnum ſatis leue & fortuitum corrigens punctum, decies turpiter peccas. Nam hoc ſæpenumerò accidit, vt qui alios inſectantur,

ipſi grauioribus madeant vitiis. Et tamen aſſeris pag. 6. *Vt omninò mirum ſit, & ſæculis omnibus inauditum, eum, qui tantâ laborat inſcitiá, audere adhuc inter eruditos, etiam Pariſiis, caput attollere.* Attolle tu nunc caput ſolus, & emitte ad Sydera voces, ac ſummæ tuæ ignorantiæ rudens occine victorias, dum tibi inter eruditos

Bella geri placeat nullos habitura triumphos.

Pergis notare mendas pag. 9. *Eodem cap. ver. 8. in voce* ܪܚܡܐ Miſericordias, *malè*, inquis, *prorsùs omittuntur duo puncta pluralitatis, quæ nunquam prætermittuntur à peritis.*

Peſſimè tu animaduertis, imperitiſſime, non enim duo, ſed vnum tantùm deeſt punctum, cùm, vt omnes tradunt Grammatici, quos conſule ſi vis, Nomina quæ habent

literam, ; , ad formandum pluralem numerum non duo exigant puncta, ſed vnum. Præterea nomen illud non habet numerum ſingularem in ea ſignificatione, ſed pluralem ſolum. Ad hæc, illa eadem vox legitur ibidem cap. 2. ver. 2. 10. 13. ſuis notata punctis, quod ſignum eſt punctum illud non fuiſſe inſcitè omiſſum, ſed vel fortuitò excidiſſe, vel inter cudendum obliteratum.

Pag. item 9. *Eodem cap. ver.* 9. (inquis) *ad illa verba, & oſculata eſt eas, inſcitè ſcribis, ac imperitè* ܘܢܫ̈ܩܰܬ *pro* ܘܢܰܫܩܰܬ *& oſculata eſt: Nempè ſciunt, qui ſatis Syriacè ſciunt, in verbis actiuis, & in conjugationibus* Peal, & Paël *vſitatis, conjugationem* Peal *vſurpari tantùm, vbi eſt vnicum ſuppoſitum, in quod actio tranſeat; conjugationem verò* Paël *vbi plura. Ex. g.*

ܘܩܛܠ occidit *de vno tantùm occiſo di-
citur*, ܘܩܛܠ *autem de pluribus. Vndè
cùm hîc ſermo ſit de pluribus, vti patet
ex Textu qui dicit, etiam ſecundùm
tuam interpretationem, & oſculata
eſt eas, quis neſcit te præter* ܘܢܫܩܬ
hîc eſſe legendum, & non ܘܢܫܩܬ
& oſculata eſt?

Nequaquam credidiſſem hominem inter eruditos celebrem, vt tibi videris eſſe, quique doctos, & rudes perinde contemnis tantâ laborare poſſe inſcitiâ, & imperitiâ. A quo didiciſti, & quis te docuit, verba frequentatiua reſpicere pluralitatem ſuppoſitorum, primitiua verô vnitatem? Ioannes Deſpauterius? caue dicas; quia puerili ferulâ te excipiet, cùm te docuerit, Fre-

quentatiua verba denotare actionem ſæpiùs exercitam, non autem ſuppoſitorum pluralitatem, vt *Clamito* eſt ſæpiùs Clamo; *Vocito*, ſæpiùs voco, &c. Sed prouocas vt audio ad Grammaticos Syros, & præſertim ad Georgium Amiram Grammaticorũ diſertiſſimum. Non recuſo; audiamus igitur illum lib. 3. cap. 18. pag. 414. vbi de hac eadem re ita habet.

Notandum eſt primò, non ſolùm inhærentia fieri tranſmigrantia; ſed etiam ipſa tranſmigrantia fieri iterùm tranſmigrantia. Et quidem tranſmigrantia ſimpliciter in dictionarijs appellari ſolent ܫܕܐ ܕܚܕ *id eſt, vnius viciſſitudinis; quia videlicet ſignificant actionem vnâ vice, ſeu non frequenter factam; vt* ܩܛܠ *interfecit. Quæ verò ex illis fiunt iterùm tranſmigrãtia*

ſolent dici ܦܘܢ̈ܝܐ ܐܕ̈ܢܝܡ *id-eſt, plurium vicisſitudinum, quia ſcilicet actionem multis vicibus, ſeu frequenter factam indicant, vt* ܩܛܠ *multis vicibus interfecit.*

Vides, VALERIANE, quàm aliter tradiderit frequentatiuorum regulã, & quàm aliter expoſuerit eadem exempla, quæ ipſe attuliſti, Grammaticorum doctiſſimus Georgius Amira. Eadem docet Illuſtriſſimus Vir Iſaac Sciadrenſis Archiepiſcopus vrbis Tripolis Syriæ, Part. ter. ſuæ Gram. cap. 22. pag. 227. & alij omnes apud Syros Grammatici. Fateris tuam inſcitiam, an alia vis tibi afferam exempla, vt tantam ſuperbiam, & inſolentiam euincam? Afferam igitur. Sed à quibus? Ab illius verſionibus, & punctuatione, à cujus longa & aſſidua conſuetudine tantoperè

perè te profeciſſe in lingua Syriaca gloriaris pag. 5. vt tibi promptum eſſe, & expeditum etiam ſolis tuis viribus jactes, omnes meas lucubrationes explodere; nempè Gabrielis Sionitæ, vt omni ex parte intercipiam te, ne vllus euadendi ſuperſit Ardelioni locus. Geneſ. itaque cap. 2. ver. 16. legitur ܘܦܩܕ ܡܪܝܐ ܐܠܗܐ ܠܐܕܡ *Et præcepit Dominus Deus Adæ* vbi ܦܩܕ eſt conjugationis, *Paël*, ad quam exigis plura ſuppoſita, tamen vnus eſt Adam, niſi tu arithmeticâ aliquâ ab acri illo tuo ingenio excogitatâ regulâ illum in plura ſuppoſita diuidas. Hoc idem ſæpiùs repetitur cap. 3. & ſequentibus. Exod. cap. 39. ver. 1. ܐܝܟ ܕܦܩܕ ܡܪܝܐ

E

ܠܡܘܫܐ *Quemadmodum præceperat Dominus Moſi.* Hujuſmodi infinita occurrunt legenti.

Quòd verò verbum illud ܩܛܠ conjugationis , *Peal* , quod pro exemplo attuliſti , & de vno tantùm *occiſo* dici aſſeris, de pluribus etiam dicatur ſuppoſitis , & occiſis , habeas ex verſione & punctuatione Gabrielis Sionitæ Numerorum capite 25. ver. 5. ܘܐܡܪ ܡܘܫܐ ܠܕܝܢܐ ܕܐܝܣܪܝܠ ܩܛܘܠܘ ܐܢܫ ܠܓܒܪܘܗܝ id-eſt , *Dixitque Moſes Iudicibus Iſraëlis , Trucidate quiſque viros ſuos.* Tranſit-ne hîc actio in plura ſuppoſita , nempè *viros ſuos?* tamèn verbum eſt conjugationis *Peal* , quę ſecundùm te vſurpatur tantùm, vbi eſt vnicum ſuppoſitum,

in quod actio tranſeat.

Tuas adhuc miſereor vices, qui tuam inſcitiã vndequaque oſtentas, & prodis imperitiam; Nam nec à te allatum paradigma, *Peal*, tuo exemplo congruit, cùm *Peal* ſit diſſyllabum, ܦܥܠ verò monoſyllabum.

Ex his omnibus planè patet, quàm malè, imò peſſimè tuas collocaueris horas illas longas, & aſſiduas in addiſcenda Syriaca lingua, vt de alijs nunc ſileam. Igitur

Metiri ſua regna decet, vireſque fateri.

Linguarum peritiſsimum omnes te habuiſſent, ſi illo Sapientis Prouerbiorum cap 17. ver. 28. vſus fuiſſes. *Stultus quoquè ſi tacuerit, Sapiens reputabitur : & ſi compreſſerit labia ſua intelligens.*

Pag. 10. pergis inſolentiùs inſultare, quia tuæ iuriſdictioni decedere aliquid tibi videbatur, quòd puncta

appoſuerim vocalia nomini Hebraïco abſque Superiorum, hoc eſt tuo Permiſſu. Aſſeris quippe & irrides. *Mirum porrò te hominem eruditiſſimum, & qui de ſynceritate Sacro-ſanctæ Editionis Hebraïcæ, ac ſtrenuis ejus Propugnatoribus audentiſſimè pronuncias, neſcijſſe hanc vocem* ראלשׁרי *quę hoc ipſo cap. reperitur ver. 20. eſſe vnū ex Dei nominibus cum litera* Dolath *ſibi præpoſita; atque adeò non eſſe efferendum per vocem* الشرب *vt tu malè effers ac Barbarè, ſed per vocem* אֵלשַׁדַּי *purè Hebraïcam.*

Duo hîc perſtringis; Primò, me audentiſsimè de Sacro-ſanctæ Editionis Hebraïcæ ſynceritate, ac ejus ſtrenuis propugnatoribus pronunciare: Secundò, me neſcijſſe illam vocem eſſe Hebraïcam, ac purę Hebraïcè eſſe efferendam. Nunc ad Secundum, tùm ad primum

reuertar.

Cùm Hebraïcam Linguam, vt tu Syriacam confidenter, aliaſque Linguas, nòn profitear, nec ad me ſpectare exiſtimabā, voces Hebraïcas à Syris vſurpatas Hebraïco efferre more, ſed Syriaco, præſertim cùm id fecerim ante tuum decretum, & Hebraïcum Edictum. At quid deeſt voci iſti, vt à me ibi notata eſt, quin ſit purè Hebraïca? omnes adſunt literæ, quibus pingitur apud Hebræos. Deſideratur vocalis *Phtohho* ſuprà tertiam? Hoc fortuitò accidit, vti frequentiſſimè euenire videmus in cuſis libris, præſertim Orientalium, qui infinitâ minutiſſimorum punctorum multitudine ſunt referti. Ego ſanè ſi hujuſmodi menda in Clariſſimorū & acuratiſſimorum Auctorum notare vellem elucubrationibus, ingentia conficerem volumina. Deus

bone! nonne mitior humaniorque in me extitiſſet Momus, vel ipſe Zoïlus? Profectò credo, quia non tam acutè quęſiſſent nodum in Scirpo, & apicem minutiſſimum, qui vix Lynceis oculis cerni poteſt. Neque ſimplici notatione fuiſti contentus, ſed ſtatim ſcommatis & prouerbiis me excepiſti: *Audi ergo*, inquis, *appoſitum tibi prouerbium: Ne ſutor vltrà crepidam.* Ac vt tuam adhuc thraſonicè oſtentares in lingua Hebraïca peritiam, ſubdis: *Aut ſi ſatis Hebraïcè ſapis*, גרמא דנפיל בחלקך נרוה·

Sapio, VALERIANE, ſed non profiteor: Tu verò profiteris, ſed non ſapis: quia ſi ſaperes, Chaldaïca verba, nequaquam Hebraïca appellaſſes. Ex quo Orbi, & Vrbi ſcientiarum principi palam fit, quantùm aliis in linguis Orientalium profeceris, cùm Hebraïcam

linguam, cujus Profeſſor es Regius, diſtinguere neſcias à Chaldaïca. Quamobrem appoſitè quidem tibi Profeſſori Hebraïcæ linguæ illud Poëtæ Arabis quadrat,

رايت فقيه الشكل لا علم عنده

يقنع من حال الفقاهه بالاسم

Vidi Doctorem habitu abſque doctrina,
Doctoratûs tantùm nomine contentum.

Dic nunc, VALERIANE, cui noſtrum illud tuum Talmudicum conuenit Adagium, דמלפא תכלי לא בהתא? Et cui noſtrum quadrant illa tua verba te ſolo digna: *Iam enim effecit tua inſtitutio, vt quod pudendum eſt, minimè te pudeat?* Quænam eſt hæc mea Inſtitutio? Scripſi contra aliquem? detraxi alicuius honori? Aliqua menda commiſi in meis editionibus, quæ malitiæ tribui poſſint? Oſtende. Cùm autem hæc

neque oſtendas, nec oſtendere poſſis, fortuita menda nihili facio. Humanum enim eſt errare, ſed Diabolicum eſt aliis imponere, vt ipſe præſtas, & vt præſtes, tua jam effecit inſtitutio.

Porrò nec te adhuc dimittam, ſed mane pauliſper dum perjurij te reum quoquè facio.

Epiſtolâ ſecundâ pag. 12. vt turpiſſimam cauſam, quam ſuſceperas, cohoneſtes, hoc te ſolemni obſtringis Sacramento: *Hoc ego ſolemni ſacramento profiteor, me neque cujuſquam odio aut amore, neque etiam alienis ſuaſionibus aut illecebris, animum meum ad ſcribendùm appuliſſe; ſed tantùm vti multoties, palàm & apertè teſtatus ſum, vt gloriam noſtræ Gentis, vel hoc ſolo partu infœliciſſimo periculoſiſſimè laborantem, priſtino ſuo ſplendori reſtituerem.*

Vnum

Vnum punctum, & apicem in meis lucubrationibus, qui caſu omiſſus eſt, vel fractus, vel euulſus, vt paſſim accidere videmus in cudendis libris, notas, eoque nomine ſcommatis, & adagiis inhumaniſſimè excipis me, VALERIANE; & idem nomen aliter, atque aliter ſcriptum & punctis notatum diuerſis, & diſſimilibus in Clariſſimi Gabrielis Sionitæ Editionibus non vidiſti? Ecquis te ſponte cæcutire poſthàc non animaduertit? Quis pro certo non affirmabit, te & odio, & amore, & illecebris, & alienis ſuaſionibus animum appuliſſe ad ſcribendum contra me, contra Biblia, contra Clariſsimum D. Le Iay, & alios? Solemni ſacramento te obſtringis? Quibuſcum loqui putas? & ad quos tuam dirigis orationem? ad truncos? ad fungos? ad ſaxa? ad bardos? Falleris profectò, & nimiùm

falleris. *Suauis eſt homini panis mendacij, & poſteà implebitur os ejus calculo.*

Sed ne diutiùs expectatione te torqueam, hoc nomen de quo me reprehendis tam acriter, ita ſcriptum & punctuatum ܐܝܒܪܗܡ legitur in Editione Clariſsimi Domini Gabrielis Sionitæ Geneſ. cap. 17. ver. 1. cap. 35. ver. 11. cap. 48. ver. 3. cap. 49. ver. 25. ac alibi ſæpiſsimè, vbi neque in literis, neque punctis conuenit cum nomine Hebraïco, vti vides, ſi tamen videre vis, qui ſpontè cæcutis, quia ibi addita eſt litera ܝ *Iudh* poſt ܐ *Aleph*, & *Tſere* Hebræorum mutatum in *Huoſſo* Syrorum. Hoc idem nomen aliter ſcriptum, & punctuatum conſpicitur ibidem hoc modo, ܐܒܪܗܡ cap. 28. ver. 3. cap. 43. ver. 14. ac ali-

bi. Vbi *Phtobho* ſuprà primam literam ſupponitur loco *Tſere* Hebræorum.

Cur hæc non notaſti, integerrime amator æqui? Quid nunc ſolemni ſacramento profiteris? ipſiſſimam falſitatem? Hoc vnum de te credo; atque perſpectiſſimum mihi nunc eſt illud Plutarchi in Moral. *Canis ignotos allatrat, erga notos mitior; ſic inuidia nouos homines & ſupereuectos infeſtat, in notos jam mitior.* Sed quis poſthàc tuis judiciis, & cenſuris in aliorum lucubrationes fidem adhibebit, niſi tui ſit ſimilis? Quod attinet ad diuerſitatem ſcripturæ, & punctuationis illius nominis apud Clariſſimum Virum D. Gabrielem Sionitam, abſit, vt id à me tamquam mendum ſit notatum, cùm ipſe, vt optimè mihi perſpectum eſt, fidem ſuorum Codicum, & Syrorum ſcribendi, &

punctuandi varium vſum ſit ſecutus. Sed id eo tantùm nomine præſtiti, vt tuam palàm facerem omnibus æquitatem, & de eadem ſolemne ſacramentum; vt illud tibi competere potuiſſet Virgilij:

cadit & Ripheus juſtiſſimus vnus,
Qui fuit in Teucris, & ſeruantiſſimus æqui,

Niſi Satyricus Poëta obſtitiſſet,

Jurato metuam tibi credere teſti.

Prima tui enunciati pars nequaquàm ex animo meo excidit, ſed tenaciſſimè teneo. Miraris quippè pag. 10. me de ſynceritate SacroSanctæ Editionis Hebraïcæ, ac de ejus ſtrenuis Propugnatoribus audentiſſimè pronunciare.

At ego plurimùm miror, demirorque, nec ſatis demirari poſſum, hæc pronunciari à probo, ab ingenuo, à veritatis indagatore, ab amatore æquitatis, à Preſbytero, à Doctore, ab homine; cùm neque au-

denter, neque audentiſſimè, neque ſimpliciter, neque directè, neque indirectè, neque vllo alio modo id à me pronunciatum ſit. Demonſtra, proba, oſtende, vbi, quando, quo in libro? Quòd forſitan de hac re ſermonem habuerim cum aliquo, aut diſputauerim? Hoc magis mirandum eſſet; nam à doctiſſimis quibuſque non ſolùm hęc proponitur materia, & diſputatur in vtramque partem, ſed etiam grauiores; vt, *an detur Deus? an Deus ſit Trinus? an Chriſtus ſit Deus*, item, *an Spiritus Sanctus*, ac ejuſmodi. Ex quibus omnibus per te inferretur, hujuſmodi materias pertractantes eſſe Atheos, Hæreticos, perfidos.

Quidni prætereà, ſi ego pronunciaſſem, Hebraïcum Textum quibuſdam in locis eſſe corruptum, aut deprauatum ſiue ex induſtria, conſultò, & Rabbinorum operâ, ſiue

caſu, & Scribarum oſcitantiâ ac incuriâ? quid hac in re inſolens & inauditum? cùm hæc ſit communis Catholicorum, & Patrum conſtantiſsima ſententia; idem fatentur tui Rabbini, idem & ipſe fateris, vt tibi demonſtrabo. Igitur ejus criminis nequaquàm me condemnare poteris, niſi damnes Patres, Theologos, te-ipſum, ac Hebræos tuos.

Recenſebo igitur nunc tibi ex multis Patribus aliquos, qui hanc ſententiam tradiderunt. Ex hoc numero ſunt Iuſtinus Martyr in Colloquio cum Triphone Iudæo. Tertullianus in lib. *de Habitu muliebri*, cap. 3. D. Irenæus lib. 4. cap. 24. Origenes Hom. 12. in Ieremiam, & Tract. 26. in Matth. D. Athanaſ. ad calcem Synopſis, Euſebius Hiſt. lib. 4. cap. 17. Nicephorus Calliſtus lib. 4. cap. 6. Hiſt. S. Chryſoſtomus Hom 5. in Matth. ac alij perplures,

quos videre poteris, ſi placet tamen, apud Doctiſsimum P. Ioannem Morinum *Exercitationum Biblicarum* lib. 1. cap. 3. & alios, qui hanc materiam tractarunt.

Ex Theologis, & Scholaſticis vide apud eundem ibidem cap. 4. Bellarminum, Cajetanum, Ariam Montanum, Gilbertum Genebrardum, Sixtum Senenſem, Petrum Lopez, Thomam Stapletonũ, Marcum Marinum, ac infinitos alios hujus notæ longè doctiſsimos. Vide etiam eruditiſsimum Simeonem de Muis in Aſſertione veritatis Hebraïcæ aduerſùs Exercitationes Eccleſiaſticas in vtrumque Samaritanorum Pentateuchum, pag. 32.

Rabbini ferè omnes corruptionem, & menda in Biblia Hebraïca irrepſiſſe teſtantur, quædam fortuitò, & temporis injuriâ, quædam verò conſultò, & ex induſtria, vt

facili negotio demonſtrari poſsit, ſi opus ſuerit.

His acceſsit Doctiſsimi atque Peritiſsimi VALERIANI DE FLAVIGNY teſtimonium, & auctoritas, quæ inſtar omnium eſt; Is enim Epiſtolâ primâ pag. 20. apertiſſimis verbis teſtatur, Philippũ Aquinatem Auenionenſem ex Iudæo Chriſtianum Biblia Clariſsimi D. Le Iay corrupiſſe, quòd genio ſuæ Gentis, nempè Iudæorum eſſet addictiſsimus, hæc ipſiſsima ſunt verba: *Is enim* (nempè Textus Hebræus) *tot & tantis conſpurcatus fuit maculis, atque ſordibus, obſtetricantibus impuriſſimis manibus Philippi iſtius Aquinatis Auenionenſis*. Et paulò infrà ſubdit. *Vix vllum reperire licet verſiculum, vti teſtes eſſe poſſunt quot quot ſatis Hebraïcè ſciunt, in quo non ſit peccatum immaniter, in accentibus, in literis, in vocalibus. In accentibus ferè*

ferè ſemper, & vbiquè, in literis ſatis frequenter, in vocalibus ſæpiſſimè. Sed quî aliter fieri potuiſſet? E Iudæo Chriſtianus erat Philippus Aquinas Auenionenſis, & genio ſuæ Gentis addictiſſimus; an boni aliquid eſſe poterat à Nazareth? Et inferiùs pag. 22. *Non potuit indoctus penitùs Latinè Recutitus* (Philippus Aquinas) *ſuam illam interpolationem Latinis verbis exprimere; vel certè eam, quod inſolentiſſimæ videtur eſſe perfidiæ, Propalatori diſſimulare voluit, vt more* Iudaïco *Chriſtianis omnibus incautis & Linguarum Orientalium imperitis illuderet.*

Tantorum itaque Patrum, Theologorum, Rabbinorum, ac præſertim omnium ſapientiſſimi, ſibi ſcilicet, VALERIANI DE FLAVIGNY, Socij, ac Doctoris Sorbonici, & Sacrarum Hebraïcarumque Literarum Profeſſoris Regij innixus auc-

toritati, non poteram confidentiſſimè, & audentiſſimè id pronunciare?

Quid autem ex illa Epiſtola, quâ ſic Recutitum tuum Apellam perſtringis, colligi aduerſùm te poſſit, non vides? Nonnè impingis modò in ea ipſa probra & conuicia quibus alios accipis? An à temetipſo tutus eſſe poſſis, præſertim cùm in Oratione tua Apologetica pro SacroSanctæ Editionis Hebraïcæ authentica veritate pag. 28. ac ſequentibus, longè aliter ſentias? An non jure quiſpiam dixerit, VALERIANVM DE FLAVIGNY veritatem Hebraïcam hîc impugnantem eſſe temerarium, peruerſiſſimum, petulantiſſimum, perfidiſſimum, ac alia id genus perplura, quæ ex tuis ſcriptis excerpi poſſunt jactata in eos, qui non ita benè de tua Hebraïca Editione ſentiunt?

Porrò quorsùm Scitum illud in Chriſtum Dominum olim jactatum: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe*, quod ipſe in Philippum Aquinatem retorques? Profectò nemo ſanus non videt illud tuum jam pridem eſſe inſtitutum, vt Philippo Aquinati eo nomine, quòd Chriſto nomen dedit, malam fidem in Scripturis tractandis impingas, quaſi verò id Chriſtianis proprium ſit, à quibus per te juxta illud Scitum nihil boni ſperandum eſt. Contrà, *Iudæis nullam poſſe affingi malæ fidei ſuſpicionem* in corrumpendis ſcripturis, audacter affirmare non dubitas pag. 30. & ſequentibus tuæ Orationis Apologeticæ pro Hebraïca authentica veritate. Quamquam Epiſtolâ 1. loco paulò ſuperiùs citato, vel vt animi tui libidini ſatisfaceres, vel ſolito œſtro percitus contrarium docueris

Ex hactenùs dictis patet euidentiſſimè,me nihil pronunciaſſe, ſi tamen aliquid pronunciaui, quod audentiſſimum ſit, & Catholicorum ſẽtẽtiæ contrarium, cùm communior Patrum, & Theologorum ſit opinio, imò & Rabbinorum, Textum ſcilicet Hebraïcũ aliquibus in locis eſſe corruptum, atque deprauatum, ſiue id conſultò factum fuerit, ſiue fortuitò. Verùm nemo non fatebitur, illud tuum *Edictum Valerianum*, quod in publicis vrbis locis affigi voluiſti vncialibus characteribus, eſſe temerariũ, vt quod maximè audentiſſimum, & inanis arrogantiæ pleniſſimum. Audi, ſi fert animus, Romanum Edictum.

VALERIANVS DE FLAVIGNY,

DOCTOR AC SOCIVS Sorbonicus, Sacrarũ Hebraïcarumq; Literarum Profeſſor Regius.

Solidâ inductione demonſtrabit nullum locum ex ijs quos vulgò corruptos eſſe dicunt atque deprauatos in Sacro-Sanctis voluminibus Hebraïcis corruptum eſſe aut deprauatum.

Hoc Sanè nunquam præſtabis

Solidâ, ſed potiùs Stolidâ inductione, & inanibus pollicitationibus, vt hactenùs feciſti, verba nuda crepans, & auſu gigantæo, hoc eſt irrito gloriaris; vndè egregiè profectò quadrat huic tuo Edicto illud Plauti. *Stultus eſt qui facta infecta facere verbis poſtulat.* Iſta tamen pro nugis habenda ſunt, ſi conferantur cum iis, quæ in Sacro-SanctamVulgatam Editionem à Concilio Tridentino Authenticam declaratam pronunciaſti, & effutiiſti.

Quid enim aliud volunt (ſi attentiùs conſiderentur) niſi auctoritatem omnem Textui Hebraïco eſſe deferendam, & Vulgatæ Eccleſiæ Editionis fidem, exiſtimationem, majeſtatemque eleuandam? Hæc obtendunt illa verba tua ad Zoïlum initio tuæ Orationis Apologeticæ pro Editione Hebraïca: *Vulgatam Editionem*, inquis, *à Con-*

cilio Tridentino declaratam Authenticam eâ, quâ par eſt homini Catholico, pietate, & reuerentiâ amplector, colo, veneror, ſuſpicio; Primariam authoritatem Sacro-Sanctis Voluminibus Hebraïcis deferens.

Dic, quid amplecteris, quid colis, quid veneraris, quid ſuſpicis in Vulgata Editione quâ homini Catholico par eſt? Secundariam auctoritatem? Hæc communis illi eſt cum Græca, Syriaca, Arabica, Æthiopica, Ægyptia, Armena, ac alijs ejuſmodi Editionibus, & verſionibus, adeoque reuerentia, quam exhibes, deferſque Vulgatę, erit ejus generis de qua Iſaïas Proph. cap. 29. ver. 13. *Populus iſte ore ſuo, & labijs ſuis glorificat me, cor autem ejus longè eſt à me.* Hæc enim tua Sententia nullum poteſt habere meliorem comprobatorem, quàm te, qui ipſo in tuæ Orationis limine ita eam aperis: *Ea*

*eſt quorumdam hominum,*inquis,*inueterata peruerſitas (Auditores) vt ex quo primùm euulgatum eſt apud imperitos dictum illud inſipidiſſimum*, loquendum Latinè, ſciendum Græcè, legendum Hebraïcè, *non alio quàm inſolenti quodam ſupercilio veſanoque faſtu malint videri contemnere præclara, quàm diſcere, germanumque Scripturarum ſenſum in interpretationum quarumdam riuulis turbidiſſimis, quàm in puriſſimis fontibus Hebraïcis indagare.*

Quinam autem ſint riuuli iſti turbidiſsimi, ipſe qui è fontibus Epotas Sapientiam, nobis declaras Epiſtolâ primâ pag. 52. hiſce verbis. *Verùm quis neſcit Verſionem non eſſe fontem, ſed riuulum; & Editionem Latinam quantumuis declaratam authenticam, ſemper eſſe Verſionem? Hanc vbique conſulendam admittimus ex omnibus Latinis Editionibus, vti Concilium*

Concilium Tridentinum declarauit; indè etiam fidei dogmata repetenda; ſed negamus eam Hebræis fontibus, aut aliis Textibus primigeniis anteponendam. Sua ſtat vnicuique authoritas; Et dulciùs bibitur in fontibus, atque puriùs, quàm in quibuſlibet aliis riuulis, aut inde deriuatis canalibus.

His quid audentiùs ab homine Catholico proferri, aut pronunciari potuit? Eccleſia, ac omnes Catholici bibunt ex riuulis turbidiſſimis, illi verò dulciùs, ac puriùs bibunt, qui ex puriſſimis Hebraïcis fontibus bibunt tecum, Valeriane de Flavigny, qui ex R. Benjamin Itinerario didiciſti forſan, vbi ſunt puriſſimi illi Hebraïci fontes. Sed nec ex eorum numero te eſſe exiſtimas, *qui loquuntur Latinè, ſciunt Græcè, legunt Hebraïcè*; nam Hebraïcè legis, vt arbitror, ſed quod non intelligas, illud eſt nobis certiſſimum

argumentum, quòd Hebraïcâ Linguam à Chaldæa minimè diſtinguere ſcias, vt ex ſuprà notatis planiſſimum eſt.

Hoc vnum Dei beneficio maximoperè eſt referendum, quòd nobis concedas, *Vulgatam Editionem vbique conſulendam eſſe ex omnibus Latinis Editionibus*, vti Concilium Tridentinum declarauit. Quaſi verò nihil aliud hac in re præſtiterit Concilium, quàm Vulgatam Editionem ſeligere ex cæteris Latinis Editionibus, vt iis obtendis verbis. At falleris, nimiúmque falleris profectò, hoc enim non eſt declarare Editionem aliquam authenticam, ſed cæterarum comparatione meliorem, correctioremque; ſenſum igitur verbis illudis.

Neque hîc ſiſtis gradum, ſed totam pectoris tui ſentinam in SacroSanctam Vulgatam Eccleſiæ Ca-

tholicæ Editionem euomis, quâ item & Græcam conſpurcas pag. 23. & 24. tuæ Apologeticæ Orat. vbi ita in vtramque inſurgis: *Atque hoc juſtiſſimo quodam Dei judicio, vt qui ſuos commentarios expendere negligunt ad Editionem Hebraïcam, ad Græcos Latinoſque codices allidant veluti ad ſcopulos, à quibus ſuum ſolent expectare præſidium.*

Nec ſacrilegum in Vulgatam Editionem adhuc deponis animum, & temerarium auſum, imò majoré reſumis, eam appellans ciſternam diſſipatam, & ciſternam impuriſſimam. Ita quippè Epiſtolâ 1. pag. 67. inſurgens in Præfationem Magnorum Bibliorum Clariſſimi D. Le Iay, Hebraïcam Editionem Vulgatæ poſtponentis ex auctorite Eccleſiæ, loqueris: *Sed videat Propalator iſtius Operis & attendat, an non mutato nomine de ſe fabula narre-*

tur exquiſitiſſima? Dereliquit enim fontes aquarum viuentium & quæ ſaliunt in vitam æternam, vt ſibi foderet ciſternas diſſipatas & quæ continere non valent aquam; ſed ciſternas etiam impuriſſimas, & ex quibus nihil nobis hauriendum niſi quod Eccleſia nobis communicari voluerit.

De Alcorano ipſo quid pejus dicere poſſumus, quàm eſſe ſcopulum, ad quem tot Gentes allidunt, à quo ſuum ſolent expectare præſidium, atque eſſe ciſternam diſſipatam ac impuriſſimam? Verba autem Sacræ Scripturæ Fabulam Exquiſitiſſimâ dicere, neſcio an Chriſtianus ferre poſſit animus. Miror præterea tuam argutiam, neſcio an malitiam dicam, quem, cùm Vulgatam Editionem ciſternas diſsipatas, & impuriſsimas appellaueris, addere non pudeat: *& ex quibus nihil nobis hauriendum niſi quod Ec-*

cleſia nobis communicari voluerit. Quid, ſodes, ex impuriſsimis ciſternis Eccleſia nobis communicatum vult? Nonne his Eccleſiam, Scripturam Sacro-Sanctam, & Fideles omnes eſt illudere? Profectò, vt vno verbo omnia dicam, nullus ſceleſtiſsimorum Hęreticorum tam ſceleſtè, atque impiè eſt loquutus contrà Vulgatum Eccleſiæ Catholicæ Textum, ac tu, VALERIANE. Equidem exiſtimo locum iſtum ab Illuſtriſsimis ac toto Chriſtiano orbe celeberrimis atque Venerandis Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctoribus hactenùs animaduerſum non fuiſſe, quia Orationem illam, & Epiſtolam, vt nullius momenti, & & pretij legere non ſunt dignati, alioquin ſuam tuliſſent Cenſuram. Ex hoc enim ſequeretur omnes ferè antiquos Patres, ac Theologos tàm vetuſtos, quàm recentiores in

conficiendis ſuis Commentariis in Sacro-Sanctas Scripturas, alliſiſſe ad hujuſmodi ſcopulos tamquàm Hebraicæ Linguæ ignaros, adeóque Scripturarum germanum ſenſum ab Iſaac Abarbanello, Kimchio, Abenezra, ac reliquis Chriſtiani nominis hoſtibus infenſiſsimis eſſe nobis petendum; vel ſaltem à tuis, VALERIANE, Commentariis, quos Kalendis Græcis es confecturus. Sequeretur etiam, ſi talis eſſet hujus Linguæ neceſsitas, adhuc benè Chriſtianæ Eccleſiæ proſpectum non eſſe, aut prouiſum, quòd ſcilicet arctiſsimo Decreto, & quidem Diuino ſtatutum non fuiſſet, vt ſupremum ejus Caput, ac reliqui in toto terrarum orbe conſtituti Præſules ſedulam operam nauarent hujus Linguæ acquirendæ ſtudio, ac vt in Sacris obeundis hâc ipsâ vterentur omnes. Contrarium ta-

men obſeruaui, & non abſque magna admiratione hujus rationẽ apud me ſum ſæpiùs meditatus, vndè ſcilicet ortum ſit, vt ex infinita Iudæorum Gentis multitudine, quæ Chriſto nomen dedit, tàm in Oriente, quàm in Occidente, nulli ſint, qui in Sacris peragendis hâc vtantur Linguâ, nulla Hebraïca extet Liturgia, nulli Sacri Libri noui Teſtamenti ab Apoſtolis Hebræis ſint eâ linguâ conſcripti, vt nullum certum euincit argumentum, cùm cæteræ omnes Nationes, inter quas plures ſunt, & numero, & generis nobilitate, & linguæ cultu, & ſcientiarum cognitione multò Hebraïcâ Gente inferiores, nouum Teſtamentum habeant ſuis linguis conſcriptum, itemque Liturgias, Ritualia, Preces, ac reliqua Chriſtiana monumenta, vti ſunt Syri, Ægyptij, Armeni, Chaldęi, Æthiopes, Grę-

ci, Latini ac alij, Hebręis exceptis; quod meo judicio ejus Gentis, & linguę reprobationis euidentiſſimũ eſt argumentum, & indicium.

Pergis nihilominùs tuæ Hebraïcæ linguæ abſolutam inculcare neceſſitatem, ac Theologis omnibus inſolentiùs inſultare ibidem pag. 21. & 22. vbi poſt multa ſubjungis: *Sed quid opus pluribus? Audient noui illi ac recentes Theologi, quos pejor Auis hæc ætas tulit vt Sacro-Sanctis Voluminibus Hebraïcis detraherent, atque etiam, ſi Deus dederit, exaudient, Linguam Hebraïcam Sacrorum voluminum Clauem Theologis* OMNIBVS *eſſe neceſſariam, ſi modò Scripturas Sacras fœliciter euoluere cupiunt, & inoffenſo pede decurrere.*

Citiùs vtinam hoc à te exoremus Valeriane de Flavigny, vt receptâ hâc tuâ Claue per januam ingrediamur, non autem per feneſtram,

tram, quod ſurum eſt, teſte Euangelio, vti fecerunt ex tua ſententia Auguſtinus, Chryſoſtomus, Cyprianus, Irenæus, Gregorius Nazianzenus, Nyſſenus, Magnus Cyrillus, Iacobus Niſibenſis, Ephrem Syrus, Iſaac Syrus, & ex recentioribus Petrus Lombardus, Thomas Aquinas, ac infiniti alij. Vt quamprimùm proferas hanc Clauem ſuppliciter rogamus, ne ingredi etiam pergant per feneſtram omnes illi Theologi Sorbonicæ domûs, Claui ejuſmodi carentes. Ne diù ſub modio abſcondas lucernam. Omnia egregiè probaſti ſubjungens: *Cùm conſtet euidentiſſimè non poſſe homines etiam eruditiſſimos verum ac germanum Scripturarum ſenſum eruere, niſi priùs intellectam perſpectamque penitùs habuerint literæ Hebraïcæ ſententiam.* Porrò importunè vrget neſcio quis: Ex quo id conſtat tàm euidenter? Ex

antecedentibus, & allatis rationibus, argumentis, auctoritatibus, ac teſtimoniis? Nequaquàm. Sed ex ſola tua, ô Clauiger Rabbinice, aſſertione, quę inſtar horum omnium eſt; eamque ſolidè confirmas illo Prologi Eccleſiaſtici: *Deficiunt verba Hebraïca tranſlata ad alteram linguã,* quaſi verô id ad rem diſputatam ſatis appoſitum eſſet. Nonnè aduertis, ô bone aliud eſſe, an alicujus linguæ elegantiam, ac particulares proprietates alio ſermone tàm ornatè imitari poſſimus, aliud verò, an ipſe germanus ſenſus exprimi queat, & an Autographum ſit corruptum, integrâ ſeruatâ Verſione, quod eſt tibi propoſitum argumentum probandum.

Omnium inſipidiſſimum, ac maximè ridiculum argumentum illud tuum, quod pag. 46. & 47. tuæ Orationis Apologeticæ pro Sacro-Sanc-

tæ Editionis Hebraïcæ authenticâ veritate adfers aduerſùs eam impugnantes, hiſce verbis: *Maximè cùm omnes iſti perfrictæ frontis homines facere nullô modô poſſunt, quin de veſtra ſingulari ſpectataque rebus in omnibus Regum Chriſtianiſſimorum ſapientia nonnihil eâdem ſuperbiâ detrahant. Si enim corrupta ſunt Sacro-Sancta Volumina Hebraïca, atque adeò Linguæ Hebraïcæ ſtudium tam peruerſum eſt atque tam futile quàm iſti videri volunt; quæ vos tandem cauſa commouit (Auditores) vt tanto hominum concurſu, tantâque frequentiâ ad hunc ampliſſimum laudis aditum conflueretis, de laudibus Editionis Hebraïcæ pluribus audituri? Aut quid Reges Chriſtianiſſimos impulit, vt iis, qui in eo ſtudio probati duces exiſterent, præmium honorificentiſſimum regiâque dignum munificentiâ ex ærario publico decernerent?*

O peregregium eximij Doctoris, & omnes deridentis argumentum! Confluunt auditores etiam ad perdiſcendas Linguas Syriacam, Arabicam, Græcam, & Latinam: Ergò nihil in Codicibus Arabicis, Syriacis, Græcis, & Latinis eſt corruptum. Paria quoque præmia ex ærario publico ijdem Reges Chriſtianiſſimi decreuerunt harũ Linguarum Profeſſoribus: Ergò Sacri Codices harum Linguarũ nullibi ſunt corrupti. Vulgatam Latinam, Græcamque Editionem peſſimè cùm dilaceres, cur eâdem ſuperbiâ, & perfrictâ fronte de Regum Chriſtianiſſimorum ſingulari ſpectataque rebus in omnibus ſapientia nõ detrahis? Cæcutis profectò, VALERIANE, quare nemo erit qui te ita ſtupidè arguentem non derideat, ſimulque tui non miſereatur.

Equidem haud inficias eo, om-

nes Linguas, ſed præſertim Hebraï-cam plurimùm conducere ad Sacrarum Literarum faciliorem intelligentiam; at aſſerere illos, qui ejus cognitione carent, allidere ad Græcæ, & Latinæ Editionis ſcopulos, abſque temeritate dici non poſſe judico. Hebraïcum prætereà Textũ non eſſe adeò corruptum, vt quidam exiſtimant, aſſentior, ſed eſſe adeò integrum, vt tuum præ ſe fert *Valerianum Edictum*, tibi, & Rabbinis concedo. Simeon de Muis Vir Doctiſſimus, & Hebraïcarum Literarum in hac Academia olim Profeſſor, ac Hebraïcæ veritatis Propugnator acerrimus, cujus ipſe inſiſtere veſtigiis hac in re exiſtimas, in Aſſertione aduerſùs Exercitationes Eccleſiaſticas in vtrumque Samaritanum Pentateuchum Doctiſſimi atque Eruditiſſimi P. Ioannis Morini pag. 32. ingenuè fatetur

Textum Hebraïcum non eſſe vndequàque purum. *Neque porrò*, inquit, *Hebraïcam Editionem ſic tueri eſt animus, vt nihil prorsùs impuri habere affirmemus*. Itaque ejus inſiſtis veſtigiis quoàd argumentum, ſed abſq; omni judicio præceps ruis in extrema, & longiſſimé à meta aberras. Demùm Vulgatam Editionem turbidiſſimum riuulum, & ciſternam diſſipatam, & impuriſsimam pronunciare, impium, & ſacrilegum eſſe affirmare nequaquàm dubito. Præſertim cùm aliter à Sacro-Sancta Tridentina Synodo ſit decretum: D. Hieronymi, qui pluribus ſæculis præceſſerat, & tuâ, Valeriane, pace ſaluâ.

Ex his judicent æqui Lectores, quis noſtrum audentiſsimè pronunciat tàm de Vulgatæ, quàm de Hebraïcæ Editionis veritate, cujus te ſtrenuum Propugnatorem aſſeris,

& jactas. Sed hac de re differant Doctiores, qui tàm eloquẽtiâ, quàm eruditione tua paradoxa retundere, ac refringere faciliùs poſſunt blaſphemias.

Quàm autem thraſonicè ſis moderatus, & à Paradoxis abſtinens, ac etiam humaniſſimus, & tibi in omnibus diſſentiens, ac contrarius, ex eo planiſſimè patet, quod cùm vt pag. 7. blateras, in primo ſolo Libelli Ruth capite Arabico notaueris pluſquàm quadraginta quinque mendas, eaſque grauiſſimas, ſolùm quinque in mediũ produxeris ex Syriaco nullius notæ, momenti, & peritiæ, vt ex dictis luculentiſſimè patet. Hoc autem præſtitiſti, vt benignè me exciperes, & vrbanè, quemadmodum his atteſtaris eâdem pag. 7. verbis: *Atque vt ſemel ſcias me te adhuc benignè excipere, & eâ, quâ poſſum vrbanitate, atque*

beneuolentiâ, ſepoſitis in tui gratiã omnibus illis hallucinationibus, quæ fortè Typographorum incuriæ, aut emendatorum oſcitantiæ tribui poſſent; has ſolùm, quas nullus benè ſanus æquo animo tulerit, accipe.

Gratias habeo tibi immortales, Humaniſſime VALERIANE, non quas poſſum, ſed quas mereris, pro tanta benignitate, beneuolentia, atque vrbanitate; ſed majores tibi debuiſſem, ſi nullas in mei gratiam ſepoſuiſſes hallucinationes, aut mendas. Quia vt Menander ait: Κακοῦ ἀνδρὸς δῶρ' ὄνησιν οὐκ ἔχει. Et hoſtium qualem te mihi infenſiſſimum omnes norunt) δῶρα ἄδωρα.

Diù diſputatum eſt, & acriter inter Correctores Typographicos celeberrimæ hujus vrbis, an legendum ſit apud te loco mox citato: *quas nullus benè ſanus æquo animo tulerit*; an verò pro *tulerit*, ponendum,

dum,*notauerit*. Tandem concluſum eſt, legendum, *notauerit*, quia omnes cenſuerunt, eum minimè ſanæ mentis eſſe, qui ex pluſquàm quadraginta quinque mendis, iiſque grauiſſimis in ſolo primo capite Textûs Arabici, quinque tantùm ſelegit ex Syro, quæ nequaquàm mendæ ſunt, vti ex dictis oſtenſum eſt, ſed impoſturæ, adeóque magnis vociferationibus collectæ turbæ Murem pro Leone oſtendiſti.

Gratiſſimum mihi fuiſſet, ſi Arabicas mendas notaſſes quóque, vt ſimul ac ſemel omnibus Linguarũ Profeſſoribus tuam inſcitiam exponeres, ac temeritatem. Tu qui Hebraïcam, quam profiteris publicè, neſcis diſtinguere à Chaldaïca, tibi Arabicam præter Syriacam vindicare audes cognitionẽ, & quidem ita abſolutam, vt aliorum opera carpere præſumas? Diomedis ope fretus

inſolenter garris, ſed non eſt hîc, qui timet Diomedem. At fallor, ſpecies illa tua peritiam Arabicam egregiè præ ſe fert.

Ex capite primo ad ſecundum gradum feciſti, aſſerens: pag. 11. *cap. 2. ver. 2. barbarè ſcribis, ac penitùs imperitè* ܒܪܬܝ *pro* ܒܪܬܝ *filia mea.*

Ne prolixiùs tuam ſollicitem eruditionem, & peritiam Syriacam defatigem, te remitto ad pag. 64. mearum Inſtitutionum Linguæ Syriacæ antè annos circiter viginti editarum, ex quibus clarè videbis, quænam hujus vocis punctuandæ regula in affixis tradatur, & an benè tuo calculo.

Pergis pag. 12. *Eodem capite, ver. 3. ad illa verba,* Et offendit in partem agri Booz contribulis, *aut* cognati, *duplex mendum committis,*

& illud quidem craſſimum (ita legitur apud accuratiſſimum aliorum Cenſorem) *atque ſtupidiſſimum, vt nihil dicam de tua Verſione, quæ non ita commoda eſt, ac propria*, Et occurrit ei pars agri Booz conſanguinei *quam ſic malè ſcribis, & interpretaris* ܘܐܬܦܓܥ & occurrit; *eſt enim verbum iſtud, vti ſciunt Linguæ Syriacæ candidati à forma* ܐܬܦܓܥ *vſitatiſſima; non à forma* ܐܬܦܓܥ *inuſitata penitùs, & Syris omnibus incognita.*

Ad Scriptionem quod attinet, mihi de more imponis, non enim ego vocabulũ illud eo modo ſcripſi, ſed vt in antiquiſsimo Codice Syriaco comperi illud reliqui. Prætereà neſcio quid in ipſa Scriptione

reprehendis, aut criminaris, cùm ſit iiſdem omninò literis depictum, ac tu corrigis: quare non ineptè illud in te quadrat, quod legitur apud D. Hieronymum ad Paulam, & Euſtochium: *Quod cupitis, hoc videtis.* Aut Scitum illud: *Sabini quod volunt, id ſomniant.* Si punctuationem redarguis, fateor vocalem *Phtohho* è ſua ſede paululùm motam eſſe, ſed quid indè? Nouum-ne eſt hoc, aut inſuetum? Spondebis pro tuis Editionibus? Itane? Nonne animaduertis, ô bone, trabem in oculo tuo? Nam dùm apicem, ſiuè punctulum ſuo loco tantillùm motum acriter reprehendis, tres literas in vna dictione ipſe omittis, ſcribens *craſſimum* pro *craſſiſſimum*? Itemque bis in eadem reprehenſione ſcribis *diſſentionem*, pro *diſſenſionem*, & *quàm* cum accentu, pro *quam*, & *imperite* omiſſo accẽtu, pro

imperitè. Eijce igitur priùs trabem de oculo *tuo*, & tunc videbis eijcere feſtucam de oculo fratris tui, ſi tamen videndi vlla tibi adhuc ſupereſt facultas.

Ad interpretationem quod ſpectat, ad Dictionaria te remitto, ex quibus facili negotio deprehendes, an vocabulum hoc ſignificet, *offendit*, vt notas, an verò, *occurrit*, vt ſum interpretatus.

Alterum (pergis eadem pag.) *in voce* ܦܘܠܓܘܬܐ *quæ non ſignificat vt interpretaris*, partem, *aut* portionem, ſed diſſentionem, ſchiſma, aut diuiſionem. Atque ita ܦܘܠܓܘܬܐ diſſentionem, ſchiſma, *aut* diuiſionem *ineptè legis*, & *imperitè pro* ܦܠܓܘܬܐ partem, *aut* portionem.

Si vllibi in meis ſcriptis loco à te mox ſignato, vel alibi, aut in vllo libro Syriaco, quicunque ſit, vt liberaliùs tecum agam, vocem illam vti à te non ſemel, ſed bis notatam, conſcriptam demonſtrare poteris, me eodem impoſtoris crimine reum eſſe patiar; ſin minùs, nonne jure, & quidem meritò nomen impoſtoris impudentiſſimi audire debes, & calumniatoris? Quod cùm tibi ſatis non ſit, vt malitię, ignorantiæ etiam coronidem imponas, jubes ibi legendum eſſe ܦܣܩܘܬܐ quam vocem *partem* aut *portionem* ſignificare ais. Quod vocabulum ſi in vllo Syrorum libro eo modo, quo illud depingis, conſcriptum exhibebis, nunquam caput poſthàc attollere inter eruditos audebo, ex tuo condicto paginâ 7. Sin verò minimè id præſtabis, tuo judi-

cio te relinquo, dummodò tamen ſimilia deinceps non committas.

Ad ſignificationem quod attinet, non minùs infeliciter diuinaſti, aut didiciſti ex illa tua longa familiaritate, & conſuetudine; quare conſule Dictionaria, deprehendeſque eandem vocem nempè ܦܘܠܓܐ vti habetur in meo Libello Ruth, & non ܦܘܠܓܘܬܐ vt falsò imponis, & barbarè ſcribis, ſignificare, *diuiſionem*, & *portionẽ* &c. ܦܠܓܐ verò, vti ſcribitur apud Syros, & non ܦܠܓܘܬܐ vt imperitè, ac inquinatè emendas, ſignificare *dimidium*. Quamobrẽ caue adeas Magiſtrum, ne ſi te in iſtis vſque adeò bardum, & ſupinum deprehendat, multis te ferulæ ictibus excitet, ac non imme-

ritò excipiat. Turges adhuc VALERIANE, & Syriacam adhuc ſpiras eruditionem?

Pergis etiam meas grauiſſimas mendas notare pag 13. hiſce verbis: *Eodem cap. ver. 9. inepte adhuc vſurpas maſculinum* ܘܫܬܝܢ & bibe *pro fœminino* ܘܫܬܝ̈ܢ *quod eſſet congruū.*

Non Maſculinum pro fœminino ſubſtitui, ſed *Phtobho*, pro *Zkofo*, ſupra literam, ܝ, intruſum eſt, quod vt tibi conſtet, conſule noſtras Inſtitutiones linguæ Syriacæ pag. 178. deprehendeſque an id rectè à nobis vt anomalum ſit notatum. Sed correctionem illam tuam, neſcio vndè depromſiſti à Tartaris, an verò Mammalucchis, vel Pſittacis, quia ܘܫܬܝ̈ܢ apud Syros nunquàm legiſti, nunquàm leges, nunquàm comperies;

comperies. Si non credis, euolue Syrorum libros, conſule Præceptorem, niſi tibi timeas, aut te pudeat, ſi tamen pudoris capax es. Nam illa tua verba aduersùs me pag. 11. in te retorquere iure meritiſſimo poſſum: *Iam enim effecit tua inſtitutio, vt quod pudendum eſt, minimè te pudeat.* Velim, præceptor hic tuus vinô & aquâ tibi interdicat, donec id vocabuli eo modo à te ſcriptum depictumque ſignificare *Bibere*, demonſtres: at me pœnitet, tuique miſeret vices, intolerabilis eſt enim æſtiuâ tempeſtate ſitis, quare bibe quantum libet, etſi vocem illam ſignificare *Bibere* nequaquàm oſtendes.

Pag. item 13. addis: *Eodem capite verſu 14. ad illa verba fragmenta ſpicarum perfricatarum inſcitè legis* ܦܪ̈ܝܟܘܬܐ *pro* ܦܪ̈ܝܟܘܬܐ

Adhuc imponere non te pudet? fallor. Hæc jam tua effecit inſtitutio. Sed ingenuè oſtende nobis, Magiſtris, tyrunculis, aut quibuſuis, vbi eam vocem etiam vtroque modo depictá legiſti? apud me? nunquàm. Apud alios Auctores Syros? nunquã. Vbi igitur? Tuum eſt oſtendere, ne malitiæ, impoſturæ, & ſummæ imperitiæ meritò arguaris. Sed hæc jam tua effecit inſtitutio.

Pag. 14. inſtitutum proſequeris: *Denique hoc ipſo cap. ver. 2. ineptè ſcribis ac barbarè* ܕܕܒܩܬܘܢ *pro* ܕܕܒܩܬܘܢ *adhæſiſti.*

Nunquàm deſines mihi imponere, aut calumniarum facies finem, hoc tibi ab ipſa natura eſſe inſitum animaduerto.

Naturam expellas, furca tamen vſque recurret.

Ego ſanè magnâ adhibitâ diligentiâ citato capitis verſu hujuſmodi verbum nanciſci nequaquàm po-

tui. Quamobrem cæterarum calumniarum catalogo hoc quoquè inſcribito; & ſi ego illud ſcripſi ineptè, & barbarè, vt ſomnias & deliras, tu calumnioſè, ac malitioſè impingis: quod quàm probũ atque ingenuũ virum, Doctorem ſcilicet, ac Profeſſorem Regium deceat, Iudicio vel ipſi tuo relinquo.

Pag. 14. *cap. 3. ver. 10. præter mendum iſtud inſigne* (inquis) *quod quinquies admiſiſti in ſola dictione* كنات filia mea, *vti modò palam tibi ſubjecimus, ineptè penitùs ac ſtupidè monſtrum iſtud efformas* ابنتى &c.

Fateor, Doctiſſime VALERIANE, id mihi neſcio quo infortunio excidiſſe, ſi Typographis id adſcribi non patieris, præſertim cùm in Autographo nihil deſideretur eorum, quæ adnotas; ſed vt vt ſit,

Pag. 15. pergis. *Cap. 4. ver. 1. inſcitè ſcribis* ܡܢܘ *pro* ܡܢܘ *neque enim vertendum eſt, vti etiam minimè vertis, quis eſt? ſed quid eſt? Ac proindè cùm vox illa interrogatiua* ܡܢ *dicatur tantùm de perſonis,* ܡܢܐ *autem, & per contractionem* ܡܢ *de rebus; quis neſcit te præter hîc eſſe legendū* ܡܢܘ *quid eſt? & non* ܡܢܘ *quis eſt?*

Demiror ſanè, iterúmque demiror, quomodò tuus Magiſter, diſcipuli, tyrones, linguarumque Profeſſores quotquot ſunt, te non exſibilent, & explodant hæc aſſerentem. Dic, oſtende, vbi legiſti, & apud quem Scriptorem ܡܢܘ,

vt nobis correctione penè barbarâ, Scythicâ, ac FLAVIGNANA obtrudis? Quis te docuit Magiſter, reperiri apud Syros ܡܘܢܘܐ à quo per contractionem efformatur ܡܘܢ? An Clariſsimus Vir D. Gabriel Sionita, cujus longâ, & aſsiduâ familiaritate tam admirabiles progreſſus te feciſſe pag. 5. tuæ 3. Epiſtolæ aſſeris? Abſit, vt Vir peritiſsimus hæc te docuerit. Ipſum judicem non recuſo. Imò hoc vnum addo; Si mihi oſtenderis in quocunque Syrorum libro, vocem hanc ܡܘܢܘܐ à qua per contractionem deducis ܡܘܢ, quam pro correctione ſubſtituere Magiſtrali, ac VALERIANO ſupercilio jubes, eo modo cum litera, ܘ, eſſe depictam, regiâ liberalitate,

munificentiâ, & Profeſſoris Regij dignitate non ſolùm indignum me haberi volo, ſed etiam eam lubens abdico; ſin verò non oſtenderis, ſuppliciter humiliterque Auguſtiſſimæ illius Facultatis Theologicæ Doctores toti Orbi Venerabiles rogo etiam atque etiam, vt de tanto calumniatore ac impoſtore indefeſſo ipſi ſumant pœnas, prouideantque, ne

Elleborum fruſtrà cùm jam cutis ægra tumebit,
Poſcentem videant: venienti occurrite morbo.

Ad variam ſignificationem illarum vocum nihil inpræſens dico, quòd non Syriaca, vti dixi, ſed Tartarica neſcio, an Brutorum vocabula adduxeris, quæ fortè à Salomone, vt Hebraïcarum Literarum Profeſſor, didiciſti. Ille quippè, vt fabulantur Arabes, omnium Brutorum idiomata intelligebat.

Inſtitutum tuum proſequeris

pag. 16. vbi, *Eodem cap. ver. 4.* inquis, *malè ſcribis, ac barbarè,* ܘܐܥܕܕ *pro* ܘܐܥܕܪ *& dicam, ſpretâ ſemper literarum* ܟܪܘܟܐ *notatione, & repoſitâ literâ Dolath pro litera Riſch.*

In vnius verbuli notatione & contextu, quiſnam ſis VALERIANE, ipſe te prodis; nempè calumniarum architectum, & linguarum Profeſſorem imperitiſſimum. Primum probatione non indiget, cùm conſtet de facto loco à te citato ſcriptū conſpici ܐܥܕܪ cum *Riſch*, non verò ܐܥܕܕ cum *Dolath* vt falsò imponis, & calumniaris pro more, etſi credere etiam iuuat, te diſcernere neſcire literam *Dolath* à *Riſch*, vt Hebraïcam à Caldaïca lingua patet. Secun-

dũ ex literarum ܒܕܘܠ *Bdul* officij, & muneris ignorantia, quam ſæpiùs mihi exprobras, vt ſolent ebrii ſobriis, & abſtemiis ebrietatem. Nam non officiũ tantùm harũ literarum ignoras, ſed nec ordinem, cùm pag. 13. ſcribas Cenſor importuniſſime, ordine peruerſo ܒܕܠܘ *Badlu*, pro ܒܕܘܠ *Bdul*. Scias igitur ſemel hoc eſſe literarum ܒܕܘܠ officium & munus apud Syros: quoties earum aliqua præponitur nomini, cujus prima eſt vocali deſtituta, litera ܒܕܘܠ recipit vocalem, & moue- tur, ſi verò prima litera nominis eſt mota, nempè ſuam habet vocalem, litera ܒܕܘܠ quieſcit. Cùm igitur

prima

prima litera vocabuli à te notati nempè ܐܶܨܦܰܪ ſit mota, litera, ܐ, quæ ipſi præponitur, quieſcere debet, non autem moueri, vt imperitiſſimè jubes.

Pergis pag. 16. *Eodem cap. ver. 11. Ad illa verba*, Faciat Dominus mulierem iſtam ſicut Rachel, & Liam, ܕܬܰܪܬܶܝܗܶܝܢ Hæ quæ ambæ ædificauerunt domum Iſraëlis, *malè ſcribis & incongruè* ܕܬܰܪܬܶܝܗܶܝܢ *pro* ܕܬܪܬܝܗܝܢ

Mare priùs vitem tulerit, quàm imponendi tu facies finem, aut tuæ imperitiæ oſtentandæ. Ego ſanè neque eo loci Libelli Ruth comperi ܕܬܪܬܝܗܝܢ vt notas, neque apud vllum Syrum Scriptorem vocem illam eo modo ſcriptam legi, nec tu oſtendere poteris; quemadmodum ne-

M

que Tartaricã hanc vocem دیسنم, quam pro correctione FLAVINICA obtrudis. Adeóque defatigatus Doctorum Virorum aduerſus tuam audaciam & imperitiam implorare opem, reſtat, vt Auguſtiſſimæ Sorbonicæ domûs Ianitorem rogem etiam atque etiam, vt ab illius toto terrarum orbe celeberrimi Athenæi aditu te excludat, vt olim Æſopus Philoſophos.

Pergis pag. 17. *Eodem cap. ver. 14. barbarè ſcribis & ineptè* ادتم *pro* ادتم *Tranſtulit.*

Si omnia, quæ noſtram diligentiã ſubterfugiunt barbara, ac inepta ſunt dicenda, omnium barbarorum, & ineptorum habendus quidem ipſe eris facilè princeps. Siquidem pag. 1. tuæ Epiſtolæ, vt

nunc obſcœniſſimum tuum mendum omittam, pro *nuper conuenimus*, legitur, *nuper per conuenimus*; & pag. 12. pro *craſſiſſimum*; ineptè ſcribis ac barbarè *craſſimum*, & alia ejuſmodi, ac multò ineptiora, de quorum catalogo infrà ſuo loco. Quid in me reprehendis, Cordatiſſime VALERIANE? vnum punctũ alterius loco intruſum fuiſſe? At apud te in allato primo exemplo tres literæ omninò abundant, & in ſecundo tres deſiderantur, & trabem non vides in *oculo* tuo cum vocali, *o*, initio dictionis, feſtucam verò in oculo fratris tui vides? Puto etiam te minimè illud Auguſtini in Pſal. 5. legiſſe: *Juſtè alios reprehendit, qui non habet, quod in ſe alius reprehendat.* Rogo itaque te, Cordatiſſime VALERIANE, vt Manticam attentiùs conſideres, & contempleris, non tam quod eſt à parte ante-

riori, ſed & quod à tergo eſt; ſic enim reſipiſces fortè, & minùs de te, quàm de aliis ſenties.

Concludis demùm ſolitâ modeſtiâ tuas notas Syriacas his verbis: pag.17. & 18. *Sed quid opus pluribus? ſummam tuam in Lingua Syriaca ignorantiam prodet vltimum, quod ego notabo, vocabulum. Dùm enim ſcribis hoc ipſo cap.4. ver.15.* ܝܠܕܬܗ *pro* ܝܠܕܬܗ *peperit illum, prætermiſſô punctô* Hhuoſſo *ſub litera* Ioudh, *quod ei tamen omninò eſſentiale eſt, ac neceſſarium, & repoſitô punctô* Pthohho *ſub litera* Lomadh, *locô puncti* Ruoſſo, *contra analogiam à verbi* ܝܠܕ *quo tertia iſta perſona ſingularis fœminina deriuatur.*

Id ipſum quod meam prodit ſummam ignorantiam, tuam nobis, imò Vrbi huic celeberrimæ, & Orbi pro-

dit ſummam malitiam ſummæ conjunctam ignorantiæ. Primum exhibet nobis verbum ܝܟܠܬܗ, quod aſſeris legi in mea verſione, cap. 4. ver. 15. cùm nequaquàm ita ſit; adi locum ipſe, videbis te eſſe impoſtorem. Ne autem hoc grauiùs videatur tibi, & inclementiùs in te dictum, te contra te teſtem adhibeo. Aſſeris, me prætermiſiſſe punctum *Hbuoſſo* ſub litera *Iudh*, quod cùm ita ſit, quâ fronte affirmas, me ſcripſiſſe ܝܟܠܬܗ cum *Phtohho* ſupra eandem literam *Iudh*? Hoc præſtas, ne quidquam de innata malitia remittas. Secundum, nempè te laborare ſummâ ignorantiâ, atque craſſâ inſcitiâ pari malitiæ conjunctâ, ipſa, quam ſubſtituiſti, correctio deprædicat. Dic VALERIANE, ſed ingenuè tuo more, apud quem Syro-

rum legiſti vnquàm quod nobis pro correctione obtrudis ܒܝܕܠܗ aut ܒܝܕ cum *Cheua* Hebræorum ſub litera *Iudh*, vt illud notas. Aut benè Latinè exiſtimas dici *à verbi*, pro *à verbo*, & *quo deriuatur*, pro *à quo deriuatur*. Ad Magiſtrum, tuas miſeratus vices, nolo te remittere, ne jam defatigatus, atque irritatus, tot malitiarum, & ignorantiæ craſſæ crebris repetitionibus iratior te peſſimè excipiat ſuâ Virgâ. Quamobrem meâ ſententiâ vel aliquem quære tibi Magiſtrum, qui nihil de illa longa, & aſſidua conſuetudine, reſciat, ex qua tantoperè te profeciſſe jactas in linguæ Syriacæ cognitione; vel potiùs hujuſmodi ſtudiis nuncium remittito, & in aliquo angulo Iudææ deliteſce; ſed caue ne Rabbini, aut doctiores Linguæ He-

braïcæ id percipiant, indè enim te depellent, atque exigent.

Coronide impoſitâ malitiæ ac ignorantiæ, Orationem tuam ita concludis: *Quid aliud colligere poſſumus, quàm te magnum eſſe Ardelionem, & in lingua Syriaca Tyrunculum potiùs quàm Magiſtrum aut Doctorem.*

Mihi ſanè impingis, quò nihil eſt alienius à mea natura, & indole, nempè me eſſe Ardelionem, & quidem magnum. Vocabuli naturam cum meo inſtituto non benè contuliſti, cùm ea tantùm quæ ſunt mei officij & muneris agam, & incumbam pro viribus librorum Arabicorum, vel Syrorum Verſionibus, quæ ſtudioſis aliquid commodi, & vtilitatis afferre poſſunt. Tu verò nihil præſtas, niſi ea quæ veram Ardelionis naturam ſatis ſuperque indigitant. Nam nunc Biblia Clariſſi-

mi D. Le Iay immeritò vituperas, nunc Hebraïcam Veritatem plus æquo, & verbis tantùm, & quidem inſipidiſſimis aſſeris, indè ſaltitas ad Textum Syriacum,& Arabicum; & nunc ordinem carpis, nunc relato pede laudas, nunc Samaritanum Textum ſubmordes, nunc noſtram Ruth peſſimè accipis, ex Syria in Græciam aduolas, Latinam intactam non relinquis, ad Polonos mittis Epiſtolas ad diffamandam tantorum Bibliorum famam, nunc Iudæorum ad aſtra vſque religionem ac pietatem in conſeruanda Voluminum Hebraïcorum integritate extollis, nunc Philippum Aquinatem ex Iudæo Chriſtianum Biblia D. Le Iay corrupiſſe affirmas, vt ſuæ Gentis genio deditum, tibique contradicis, nunc falſis rationibus reijcis Illuſtriſſimorum ac Reuerendiſſimorum Eccleſiæ Gallicanæ Præſulum

Præſulum Approbationem, quâ opus illud Bibliorum dignati ſunt, aſſerens tunc temporis, nempè anno D. 1635. ſolùm Nouum Teſtamentum Syriacè, & Arabicè, ac Pentateuchum iiſdem linguis è pręlo prodiiſſe, cùm notiſſimum ſit, Textum Hebraïcum, Chaldaïcum, & Græcum Veteris Teſtamenti editũ fuiſſe multò antè. Ex his ſanæ mentis quis non colliget, te eſſe maximum illum Ardelionem, & Doctorem illum illuſtriſſimum, qui

Tantùm vt noceat, cupit eſſe potens.

Iamdudùm in Syriæ infeliciter ſaltitaſti campis, & roſarum loco legiſti ſpinas, ac pro melle venenum; Indè efferatior ad Latinos te confers cãpos, cùm hæc potiſſima arma eſſe credas; quibus me faciliùs ſuperare poſsis, & hîc exultas. Sed nimiũ falleris, quia Doctorum ac eruditorum virorum arma non ſunt verba, ſed

ſolidę rationes, imò verba quandoq; obſunt. Itaque in proprio ſolo conſtitutus ita inſultas. *Porrò, quis tuam feret in lingua Latina Barbariem? An Latinè dici putas quod ais cap. 1. ver. 12. Reuertimini filiæ, quoniam ego ſenui, vt eſſem apta viro*, pro *ego ſenui vt ſim apta viro.*

Si ſatis eſſet tua aſſertio ſine vlla probatione, de pluribus aliis jam actum eſſet. Tuum nihili facio judicium, dùm verbis latinis accuratè ſenſum Syriaci Textus exhibeo. Malo minùs Latinè loqui, & vetuſtiſſimorum ac ſanctiſſimorum vtriuſque Inſtrumenti Interpretum veſtigiis inſiſtere, qui nihili barbariem, aut ipſos ſolæciſmos duxerunt, verũ germanumque ſenſum Scripturarum nobis interpretantes tradenteſque; quàm tuis nugis aures præbere aut attendere. Percurre Nouum Teſtamentum, reperieſque infinita

propemodùm, quæ Latina aut non ſunt, aut non rectè dicuntur. Quis vnquàm purè Latinè dicet *coütendo?* eo tamen verbo ipſe aliorum acerrime Cenſor, vteris in illa tua Inſigni Approbatione, ac fortè primo ingenii tui eximio fœtu, quâ Aſſertionem Veritatis Hebraïcæ Doctiſſimi Simeonis de Muis aduersùs Exercitationes Eccleſiaſticas in vtrumque Samaritanorũ Pentateuchum Erudiriſſimi P. Ioannis Morini, decoraſti, vbi ita piè, Chriſtianéque tuo more loqueris: *Ne coütendo Samaritanis hæreticis veritas Hebraïca nobis eripiatur.* Manibus dentes adde, & obnitere pedibus, ne eripiatur tibi.

Adhuc, VALERIANE, neſcio quam probationem hæc habeat tua aſſertio, cùm ibi non ſit tempus præſens, ſed infinitiuum, ſiue gerundium, quod extenſam quodammodò aptitudinem ſignificat, quæ me-

lius exprimitur per imperfectum ſubjunctiui, quàm per præsẽs, adeóque ad verbum vertendum erat, *Ego ſenui ad eſſendum viro*, id-eſt, quàm vt poſſem eſſe apta. Iudicent Doctiores.

Pergis: *Quid dicent Latinè eruditi de tua illa verſione eodem cap. 1. ver. 19.* Et factum eſt, vt cùm veniſſent in Bethlehem Iuda lætaretur in eis omnis vrbs; *Pro*, veniſſent Bethlehem, & tota vrbs?

Quid dicent? Dicent me latinè ita benè loquutum eſſe, vt vel VALERIANVS DE FLAVIGNY intelligat. Sed mane adhuc tantillùm: Non me ſolùm impetis, ſed etiam D. Hieronymum, vel quiſquis Vulgatæ Editionis auctor fuit, qui eodem modo locutus eſt; audi illum cap. 1. ver. 19. ejuſdem Libri Ruth. *Profectæque ſunt ſimul, & venerunt in Bethlehem.* Et infrà ver. 22. *Reuerſa*

eſt in Bethlehem. Percurre Vulgatum Textum, ſi placet, & innumera cōperies ejuſmodi exempla, quamquàm ſcio, ac benè ſcio ex tuis placitis, nihil tibi magis diſplicere, quàm Vulgatum Textum, & Editionem, quam nauci facis totus Hebraïcæ veritati tuēdæ perperàm deditus. Sed prouocas fortè ad meliores linguæ Latinæ Scriptores. Adi Ioannem Deſpauterium in Syntaxi pag. 179. cōperieſque Romanæ Eloquentiæ parentem ita loquentem: *Cum Fabio quartùm Conſule adoleſcentulus miles profectus ſum ad* CAPVAM, *quintoque anno poſt ad* TARENTVM *quæſitor*. Et ad Att. lib. 2. Epiſt. 21. *Cæſaris hîc per Apuliam ad* BRVNDVSIVM *curſus quid efficiat, expecto*. Idem 1. Offic. *Ille in vnam* DOMVM *Conſulatum primus intulit: hic Summi, & Clariſſimi viri filius in* DOMVM *multiplicatam non repulſam*

ſolùm retulit, ſed injuriam, & calamitatem. Quid dicent nunc Latinè eruditi de tua hac tam pereximia animaduerſione? Puto nihil aliud, niſi te deſperatiſſimè cauillari, & calumnias, vt impotentis animi impetui ſatisfacias, impingere, atque extruere. Ad ſecundam correctionem, quam obtrudis, nempè *tota vrbs* pro *omnis vrbs*, quod attinet, nunquàm teipſo es melior. Hæc eadem phraſis nonne habetur lib. 1. Reg. cap. 4. ver. 13. in hæc verba: *Vir autem ille poſtquàm ingreſſus eſt, nunciauit vrbi: & vlulauit* OMNIS *ciuitas.* Item Eſther, cap. 8. ver. 15. OMNISQVE *ciuitas exultauit, atque lætata eſt.* Item Cicero pro Quintio: *Vſquedùm inueniretur, quà ratione res ab vſitata ratione recederet, & in hac ſingulare judicium cauſa* OMNIS *concluderetur.* Vbi vt vides, hîc ponitur *cauſa omnis*, pro *cauſa tota.* Ex

quo manifeſtiſſimè cernitur, te non ratione, ſed cæco impetu in me ferri, qui, ne tuas peruideas tam graues, turpiſſimaſque mendas, te ſemper impellit, nec pudori relinquit locum. Verùm caueas, rogo, ne tuus impetus ſit in eorum numero, de quibus ita Tacitus An. libro 12. *Acres impetus cunctatione langueſcunt, aut in perfidiam mutantur.*

Pergis: *Quis credet Latinam eſſe phraſim iſtam cap. 2. ver. 5. cap. 3. ver. 9. Quod nuncium eſt puellæ hujus?* Pro *Quæ fama eſt puellæ hujus?*

Si vocabulum Syriacum ܛ̈ܒܐ perpendendum eſt, ſignificat tàm *famam*, quàm *nuncium*; Sed ſi ſenſûs habenda eſt ratio, vertendum eſſet, *quænam, ſeù cujas eſt puella iſta?* cui ſenſui minimè tua congruit *fama*, nec rationem tu aſſignas cur magis Latinè dicatur eo loci, *fama*

quàm *nuncium*, cùm vtrumque legatur apud Latinos Scriptores.

Subdis: *An quiſpiam Latinè dixerit, quod ais eodem cap. 2. ver. 9. Ecce præcepi, vt homo non lædat te, pro eò quod vulgò dicitur, Ecce præcepi, ne quis te lædat.*

Quiſnam ita loquutus eſt? Vulgatæ Editionis Interpres, ſi tamen vllius ponderis, & auctoritatis eſt apud illum audaciſſimum impugnatorem. Vbi? capite 1. verſu 1. Libri Ruth: *Abijtque* Homo *de Bethlehem Iuda, vt peregrinaretur*, &c. Eſtne hîc *Homo* poſitum pro *Quidam*? Euolue Sacrum Vulgatæ Eccleſiæ Romanæ Textum, infinita tibi occurrent exempla. Præterea ego fideliori, quàm elegantiori ſtudui verſioni, quæ tamen ſenſui nihil detrahat.

Pergis: *Quis feret phraſim iſtam incongruam eodem cap. 2. ver. 10. Ad*

cognoſcendum

cognoſcendum me, quòd eſſem peregrina, pro congrua iſta loquendi formula, ad cognoſcendum me, cùm ego ſim peregrina?

Formula hæc tua an ſit magis congrua non diſputo, ne nauſeam mihi tibique commoueam, & noſtris lectoribus riſum; at ſcio, ac benè quidem ſcio, ſenſum Syriaci Textûs accuratè eſſe expreſſum, quod ad fidelem verſionem ſatis eſt. Tu verò quandò tuam conficies verſionem, hoc eſt ad Kalendas Græcas, hac tuâ vtere congruâ loquendi formulâ, ſolâ tuâ aſſertione magiſtrali prolatâ.

Pergis: *Denique, quis dicet Latinè dici quod ais eodem cap. 2. ver. 17. Et percuſſit virgâ ea quæ collegit, pro & decuſſit, aut excuſſit virgâ ea quæ collegerat?*

Omnes te præter. Adi Nomenclatorem Syriacum Romæ editũ, Pen-

taglottum, Theſaurum Sanctes Pagnini, Primum Tomum Apparatus Bibliorum Antuerpienſium, comperieſque ſub noſtro verbo سجه interpretationem latiniſſimam, *Percuſſit virgâ.* Cur ergò fàs mihi non erit eodem verbo in eadem ſignificatione vti? Ad hæc genio tuo indulgens, notas apud me legi: *quæ collegit*, & corrigis, *quæ collegerat.* Ita cæcutis, VALERIANE? excute ſemel cæcam animi libidinem, videbiſque apud me eo loci ſcriptum eſſe *collegerat*, & non *collegit*; imô id vocabuli diuerſis, nempè Italicis, vti vocant, ibi eſt conſcriptum characteribus, adeóq; notatu multò facilius erat.

Concludis demùm tam inſignes notas, poſt illud *denique* tuum: *Et iterùm eodem cap. 2. ver. 18. Et dedit ei de eo quod comederat, & ſuperfuit*

ei, pro comederat, & ſuperfuerat?

Quibus calũnias horrendas concludere poteras, niſi turpioribus, & magis horrendis calumniis? vbi eſt ſynceritas? vbi fides? vbi religio? vbi conſcientia? belluæ ſumus, an homines? Chriſtiani, an barbari? ſcriptum-ne legiſti apud me *comederat, & ſuperfuit?* ita imponis? depone ſemel impotentem animum, Chriſtianam indue charitatem, comperieſque ibi exaratum eſſe *comederat, & ſuperfuerat,* & non ſuperfuit, vt imponis, aut *ſuperfuerat*, vt corrigis, ſubſtituto *c* pro *e*.

Liuor edax tibi cuncta negat.

Iterùm igitur veſtram, ô Inclitæ Facultatis clariſſima lumina, opem imploro, vt efferatum neſcio quo œſtro VALERIANI compeſcatis animum, nec patiamini illum ita debacchari, furere, atque imponere, ne titulô tam Illuſtris So-

cietatis famæ veſtræ detrahat aliquid, ac demùm, ne nomen in tota Europa celeberrimum, vel minimâ ſuæ craſſiſſimæ ignorantiæ labeculâ deturpet.

Notæ quidem & animaduerſiones ſuum habuêre finem, verùm calumniæ, probra, cauillationes, & conuicia nullum, Simia enim ſemper Simia. Epiſtola tandem ſic à te concluditur: *Certè hæc, & alia ejuſce generis innumera quæ hîc notare ſuperſédeo, ne contra mentem in immenſum noſtra excreſcat Epiſtola, luculentiſſimum nobis perhibent de tua ſumma ac ſingulari Linguarum Orientalium, & Occidentalium peritia. Faxit Deus, qui ne talis eſſes minimè prohibere voluit, vt tandem aliquando reſipiſcas hiſce meis monitis, & animaduerſionibus; ne ſi pergas vlteriùs alienis inuidere laboribus, aut iis, quos aliundè mutuatus es, gloriari,*

Tollat ſua munera Cerdo; *atque adeo ſæpe ſæpiùs à nobis audias*. Tecum habita, & noris quàm ſit tibi curta ſuppellex. *Interim benè vale, & mentem ſanam in corpore ſano tibi poſſide.*

Tuæ conſcientiæ, & otio FLAVIGNANE, conſuluiſti, cùm ab innumeris ejus generis notandis ſuperſederis, alioquin tam Epiſtola tua, quàm malitia, & calumniæ excreuiſſent in immenſum, ſi quemadmodùm incepiſti imponere, ita perexiſſes. Si tibi cordi erat, vt reſipiſcerem tuis monitis, & animaduerſionibus, vt ais, illud D. Ambroſij in Lucam ante oculos tibi præponendum erat, nempè, *Plus proficit amica correctio, quàm accuſatio turbulenta.* At ſi putas impoſturas, & calumnias mihi obtrudere pro amicis correctionibus, nimiùm falleris; non enim adeò

bardus ſum aut cæcus, vt à lumine tenebras diſcernere neſciam. Nemo, vel Hypſæâ cæcior, non videt, te his tuis monitis, & animaduerſionibus ad me emendandum animum non appuliſſe, ſed vitio tuo ſatisfeciſſe, vt ad Ruſticum in re ſimili ſcribit D. Hieronymus. Adeóque tua monita, & animaduerſiones, Valeriane, de eorum genere ſunt, de quibus Sapiens ait: *Eſt correptio mendax in ore contumelioſi.*

Calumniarum omnium ſumma, & tuæ cauteriatæ conſcientiæ indicium illud certiſsimum eſt, quod aſſerere te nön pudeat, me alienis laboribus inuidere, ac iis, quos aliundè mutuatus ſum, gloriari; quod niſi oſtendas, te mortalium omnium mendaciſſimum habebo, atque impoſtorem impudentiſſimum prædicabo. Contrà verò, ego alterâ Epiſtolâ luculentiſſimè de-

monſtrabo, quàm leuis corde ſis, qui citò credis, & arma aliena moues, ac relictâ conſcientiâ alienam opinionem ſequeris; atque tunc conſtabit, quis noſtrum Cerdo ſit. Vt autem benè valeam, & mentem ſanam in corpore ſano mihi poſſideam, hoc ipſum eſt quod exopto, pareſque tibi referens grates diligentiſſimè, vt caueas tibi, enixè rogo, ne quod te habere exiſtimas, breui miſerè amittas, nempè Mentem.

Interim, FLAVIGNANE Cordatiſſime, benè vale, & ſi quid in te inclementiùs dictum eſſe exiſtimes, illud memineris oportet, *Ineſt & Formicę, & Serpho bilis.* Quãtò magis cùm minimè laceſſitus conuiciis, calumniis, & impoſturis me adhuc tibi ignotum aggreſſus ſis. Vim autem vi repellere jura permittunt, nec natura negat. Nihilominùs ſi

nunc illud ſumus ſequuti Sapientis conſilium, quod habetur Prouerb. cap. 26. ver. 5. aliàs in tui gratiam ſequemur illud aliud, quod ibidem traditur ver. 4. ne de noſtro querraris reſponſo. LVTETIÆ PARISIORVM.

VALE VALERIANE.

Digitized by Google

EIVSDEM
ABRAHAMI
ECCHELLENSIS
MARONITÆ,

Chriſtianiſſimi Regis Linguarum Syriacæ, & Arabicæ Interpretis, ac earundem in alma Pariſienſium Academia Profeſſoris Regij.

EPITSOLA APOLOGETICA ALTERA.

In qua ejuſdem VALERIANI DE FLAVIGNY confutantur aliæ calumniæ, & impoſturæ inſertæ ejus Epiſtolæ Primæ.

Ad eundem VALERIANVM, *vt tandem aliquando ab imponendi deſiſtat inſtituto, & arte; & illâ Sapientis ſententiâ reſipiſcat.*

Qui credit citò, leuis corde eſt. *Eccleſ.* 19.

Malus obedit linguæ iniquæ, & fallax obtemperat labijs mendacibus. *Prouerb. cap. 17 ver. 4.*

SED

Simul Inſipiens, & Stultus peribunt. *Pſal. 48. verſ. 11.*

M. DC. XLVII.

Digitized by Google

COr iniqui inquirit mala: Cor autem rectum inquirit ſcientiam.

Prouerb. 27.

SANCTVS AVGVSTINVS
de Geneſi ad lit. cap. 1.

TEmeritas aſſerendæ incertæ, dubiæque opinionis, difficilè ſacrilegij crimen euitat.

Digitized by Google

VALERIANO
DE FLAVIGNY.

ABRAHAMVS
ECCHELLENSIS
MARONITA.

EXPEDITIS iis, quæ ſatis infeliciter aduerſùs me ſcripſiſti, VALERIANE, Epiſtolâ tuâ tertiâ; nūc ratio poſtulat, vt expendamus ea, quę Epiſtolę primæ inſeruiſti, videamuſq; an feliciùs, veriúſque à te prolata ſint; cùm, quando hęc ſcripſiſti, nec te petulanter eſſem aggreſſus, vt in tertia Epiſtola falsò prætexis, nec tecum diſceptauiſſem de tua Hebraïca Veritate; nec niſi ſemel vr-

banitatis ergo te vidiſſem, itaut nullam pro eo tempore obtendere poſſis cauſam, niſi puram putam malitiam, & innatam maledicendi libidinem, ac pruritum. *Sed Augiæ ſtabulum repurgabitur* potiùs quàm à te ſperem modeſtiam. Piſcis ſemper piſcem olet. Arbitror profectò te illud Syrorum adagium, & monitum minimè perpendiſſe ܠܐ ܬܗܘܐ

ܣܘܣܝܐ ܠܪܚܡܝܟ܆ ܠܐ ܬܬܒܣܐ *Ne ſis equus amico tuo, ne contemptui habearis.* Adeóque non alia ratione, vt ſcriberes aduersùs me, impulſus fuiſti, atque tractus à D. Gabriele Sionita, quàm equus camo capiſtroue, vt mox tibi conſtabit.

Itaque (vt ad rem ipſam quamprimùm veniamus) bifariam diuidi poſſunt ea, quæ in me congeris relatâ Epiſtolâ.

Primùm auſu non ferendo, temeritate deprædicandâ, & Rabbinicis prorsùs commentis, ac conſcientiâ pronuncias, me Româ Pariſios aduocatum fuiſſe, vt violatis omnibus æquitatis, & juſtitiæ juribus debitam Clariſſimi D. Gabrielis Sionitæ laboribus gloriam præriperem. Secundùm, variam lectionem, quam ex cap. 4. ver. 7. Geneſ. notaueram, ita petulanter, inſolenterque accipis, ac ſi tuæ Hebraïcæ veritati aliquid grauius intentaſſem.

Secundum nunc expendamus, poſtmodùm reuerſuri ad primum, quod eſt majoris operæ.

Aſſeris igitur, VALERIANE, pag. 17. *Egregium ſanè ſpecimen nobis edidit (D. Le Iay) in ſua præfatione, vbi jubet ex monito ejuſdem Abrahami Ecchellenſis hunc locum Gen. 4. ver. 7. quo Deus vultûs Caïni conſternationem*

increpat ac percellit ܗܐ ܐܢ ܐܛܐܒܬ ܬܩܒܠ Ecce ſi benè egeris, recipies, *ita eſſe reſtituendum* ܗܐ ܐܢ ܐܛܐܒܬ ܩܒܠܬ Ecce ſi benè egiſſes, acceptaſſem. *Quod enim ait vocem illam* ܩܒܠܬ *eſſe primæ perſonæ, non ſecundæ, propter appoſitum punctum ſuprà literam* ܩ *adeoque vertendam eſſe per* Acceptaſſem, *non autem per* Accipies, *nimis friuolum eſt ac futile; cùm ſciant etiam omnes Linguæ Syriacæ Tyrones hoc punctum ſemper apponi ſolitum ſupra primam thematis literam in quacunque perſona præteriti conjugationis* Paël.

Plura in vna eademque aſſertione committis grauiſſima menda, mi Flavignane: primùm notas

puncto nempè *Phtobho* pro *Zkofo* ܗܰܐ *Ha*, pro ܗܳܐ *Ho*, tam in Textu, quem affers, quàm in mea varia lectione; illud apud Syros nunquam legitur, ſecundum in mea minimè conſpicitur lectione, perindè *corruptor* potiùs appellandus es, quàm *corrector*. Secundò, in Textu, ex quo verba illa affers, punctum ſupra primam verbi ܣܒܠܐ nullum eſt; tu verò illud ſcribis cum puncto, quod dixeram eſſe reſtituendum vti habetur in Autographo. Tertiò arguis, notum eſſe etiam apud Linguæ Syriacæ Tyrones hoc punctum ſemper apponi ſolitum ſupra primam thematis literam in quacunque perſona præteriti conjugationis *Paël*.

Ex hoc vno, Cordatiſſime FLAVIGNANE, planè patet, te operam

oleumque perdidiſſe, ac malè collocaſſe horas in Lingua Syriaca perdiſcenda tam longá & aſſiduâ conſuetudine. Nam hoc aſſerendo palam facis, te nec prima delibaſſe rudimenta, nec Grammaticos euoluiſſe. Oſtende nobis vel vnum Grámaticulum, qui hanc regulam de punctuatione conjugationis *Paël* tradiderit, & eris mihi magnus Apollo. Contrarium autem omniũ Grammaticorum ego demonſtrabo teſtimoniis, nempè punctum ſupra primam thematis in præterito denotare primam perſonam ſingularem in quacunque conjugatione. Georgius Amira Grammaticorum doctiſſimus adeundus nobis eſt primus, qui lib. 1. cap. 16. *de punctis tempora, perſonaſque indicantibus*, ita ſcribit: *Sunt etiam puncta, quæ verborum tempora, ac perſonas indicant. Præteritum enim petit punctum*

tum verbo ad latus ſubjectum, *vt* ܫܪܐ Sciro *ſoluit*, ܦܪܩ Fraq, *ſaluauit*, ܚܘܝ Hhaui *oſtendit*, ܡܠܠ Malel *locutus eſt*. Vides, FLAVIGNANE, nullam hîc exceptionem eſſe factã, imò verbum ܡܠܠ *Malel*, quod eſt conjugationis *Paël*, ſupra cujus primam literam requiris punctum in quacunque perſona præteriti, pro ipſo exemplo eſſe adductum cum puncto ex parte inferiori contra tuã magiſtralem aſſertionem? Quòd verò punctum ſupra primam thematis etiam conjugationis *Paël* ſit ſignum primæ perſonæ ſingularis, idem Auctor audiendus eſt, qui ita ibidem ſubdit: *Idem* (punctum) *eodem modo poſitum*, *petunt perſonæ hujus temporis*: *exceptâ tamen primâ*

perſonâ ſingularis, quæ vult idem punctum ex ſuperiori parte poſitum hoc modo ܫܪܝܬ ſcirit, *ſolui.* ܦܪܩܬ Ferqeth, *Saluaui.* ܚܘܝܬ Hhauit, *oſtendi.* ܡܠܠܬ Malleth, *locutus ſum.* Vide eundem lib. 3. cap. 7. pag. 325. *de quarto genere conjugationum*, & quomodò puncta apponuntur ſingulis perſonis conjugationis *Paël.* Conſule etiam Doctiſſimum Iſaac Sciadrenſem parte primâ, capite 14. *de punctis, quæ tempora & perſonas diſtinguunt*; item part. 3. cap. 11. de octauo conjugationum genere, vbi ipſum verbum noſtrum ܦܪܩ inflectitur, & ſua perſonis ſingulis apponuntur puncta, comperieſque punctum ſupra primam thematis hujus verbi poſitum primam deno-

tare perſonam ſingularem. Idem tradunt in ſuis Grammaticis Gregorius Bar-hebræus, Elias Niſibenſis, Ioannes Barzuhbi, Illuſtriſſimus, atque Reuerendiſſimus Ioſeph Accurenſis Antiochenus Patriarcha Maronitarum, atque alij perplures. Hoc idem numero verbum paſſim occurrit tam in Breuiario, quàm in Miſſali, ac aliis Maronitarum, aliorumque Syrorum libris cum ſubjecto puncto in cæteris perſonis, in prima verò tantùm ſupra primam thematis; nec non paſſim cum hac punctorum ſitûs varietate pro perſonarum exigentia legitur in Verſionibus tui Præceptoris Gabrielis Sionitæ. Ratio autem cur punctum ponatur ſupra primam thematis primæ perſonæ ſingularis præteriti in omnibus conjugationibus, nullâ exceptâ, hæc eſt. Puncta verbis apponuntur ad diſtinguendos mo-

dos, tempora, genera, & perſonas; cúmque prima perſona ſingularis vtriuſque generis, & ſecunda ſingularis maſculina iiſdem omninò in omnibus conjugationibus pingantur literis, eas vario punctorum ſitu, & appoſitione diſtinxerunt Grammatici, ne inter ſe confunderentur; quemadmodum Latini aduerbia, & præpoſitiones quaſdam accentu notare ſolent, vt *aduersùs*, *faciliùs*, *plurimùm*, *multùm*, *primùm*, ac ejuſmodi, vt ea diſtinguerent à nominibus, quæ eiſdem ſcribuntur omninò characteribus.

Cùm igitur ita ſe res habeat, non imprudenter fuit à me notatum, punctum illud indigitare primam perſonam ex communiſſima regula, adeóque *acceptaſſem* eſſe vertendum, & non *recipies*. Adhæc verbum illud ܩܒܠ vel habeat punc-

tũ ſupra, vel habeat illud infra, ſemper præteritum eſt, adeóque quæſtio erit de perſona tantùm, & non de tempore, de qua re tu nihil dicis, ſed perſonas cum tempore confundis, vt difficultatem effugias. Cùm ergò conſtantiſſimũ ſit etiam ex tua confeſſione, cùm aſſeras punctum in conjugatione *Paël* apponi in præterito ſupra primam literam thematis in quaçunque perſona, illud ܩܰܒܶܠ eſſe præteritum, cur vertis illud *Accipies* potiùs, quàm *accepiſſes* per prçteritum pluſquàm perfectum ob conditionalẽ particulam?

Porrò adhuc opponis pag. 18. *Sed quis eſſet ſenſus integræ iſtius ſententiæ, ſi vocem illam* ܩܒܠ *per primam perſonã præteriti pluſquàm perfecti verteremus*, Ecce ſi benè egiſſes, acceptaſ-

ſem; ſin autem non benè feciſſes, ad januã peccatũ cubat? *Certè, vt dem prius iſtud mẽbrũ conſiſtere poſſe,* Ecce ſi benè egiſſes, acceptaſſem; *poſterius tamen minimè cohærere poteſt, etſi illi ex aduerſo reſpondeat, ſin autem non benè feciſſes, ad januam peccatum cubat.*

Vt rem autem à prima origine reſcias, mi FLAVIGNANE, illarum variarum lectionum cauſam, cùm tantoperè tuâ interſit, accipe. Cùm anno 1640. Româ Pariſios aduocatus ſim ad examinandas D. Gabrielis Sionitæ Verſiones, attuli mecum Codicem Veteris Teſtamenti Syriacum elegantiſſimum, atque correctiſſimum, qui quondam erat felicis recordationis Illuſtriſſimi Sergii Riſii Archiepiſcopi Damaſceni Maronitæ, quem cũ cæteris bonis ex Teſtamento mihi reliquerat, tamquàm ſui amoris erga me pignus. Quod cùm denuntia-

tum eſſet viro illi omni ęternitate & immortalitate digniſſimo, nempè Eminentiſſimo Cardinali Duci Richelio, mihi ejus nomine injunxit Illuſtriſſimus, atque Reuerendiſſim⁹ Leonorius d'Eſtampes, qui infinitis beneficiis me deuinxerat, Eccleſiæ, cujus ipſe Canonicus es, Meritiſſimus Archiepiſcopus, vt eum Codicem conferrem cum illo, qui in Magnis Bibliis erat editus, & vel minutas varietates notarem. Quod quâ potui diligentiâ præſtiti, libellulumque confeci variarum vtriuſque Codicis lectionum, inter quas obſeruaui punctum illud, quod tam in Codice Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Damaſceni, quàm in Autogropho Clariſſimi Gabrielis Sionitæ conſpiciebatur, deerat verò in Editione Magnorum Bibliorũ. Harum variarum lectionũ libellum, vti par erat, Clariſſimo Viro D. Le Iay tradidi, ex

quo in ſua Præfatione eâ variâ lectione ad ſuam rem, & propoſitum vſus eſt. Itaque ego auctor tantùm ſum reſtitutionis illius puncti, & punctum reſtituendum ſolùm aſſeruit D. Le Iay in Præfatione, cætera diſputanda ſunt, quomodò cohærere poſſint. Licebat igitur mihi eo fungenti munere differentias vtriuſque Codicis notare. Id verò nec tibi, nec cuiquam bilem mouere debebat, cùm alioquin ejuſmodi ſcripti genus doctis viris, & Sacrarum Literarum ſtudioſis eſſe ſoleat gratiſsimum. Sed reuerà Arabicus Textus, niſi vis ipſi inferatur, aliter exponi non poteſt, nempè niſi per præteritum pluſquàm perfectum. Hæc ſunt ipſa verba أَلَا إِنَّكَ لَوْ
جَوَّدْتَ قَبْلِتَ وَإِذْ لَمْ تُجَوِّدْ فَإِنَّمَا

اتجهت خطاؤك رابض id-eſt, *Ecce ſi benè egiſſes, accepiſſes, & cùm non benè egiſſes, quocunque ieris, peccatum tuum cubans eſt.* Et ſi verbi قبلت vltimę literę apponetur ضمّ *pro* فتح ita قبلت Sententia erit, *Ecce ſi benè egiſſes, accepiſſem*: cohærebitque omninò ea lectio cum lectione Textûs Syriaci per primam perſonam prolatam ex vi puncti de quo dictum eſt. Lectioni huic nihil obſtat, quia verbum illud in Autographo vocalibus eſt deſtitutum, totaque ſententiæ varietas à vocalium pendet appoſitione.

Quoad tempora autem Textûs Arabici omnia ſunt ibi præterita, itaut inhærendo fideliori Verſioni, aliter verti non poſſet verſiculus il-

le, quàm nos vertimus, & notauimus olim. Vter autem ſenſus vtriuſque lectionis ſit melior, non diſputo, ſed vter fidelior, quod ad præcipuum interpretis ſpectat officium nullatenùs pronunciare dubito, quin ſit ille, quem nos notauimus.

Sed pergis eam noſtram notationem labefactare pag. 18. & 19. *Deindè cùm conſtet etiam apud eos, qui Linguæ Syriacæ rudimenta ſalutarunt, verbum* ܐܬܒܕ *eſſe futuri temporis, & non præteriti; quis docuit Abrahamũ Ecchellenſem futurum illud vertendũ eſſe per præteritum pluſquàm perfectum? Mirum planè hominem illum eruditiſſimum, & qui alienis laboribus gloriam inuidet, neſciiſſe ſenſum iſtum,* Si benè egiſſes, acceptaſſem, *neceſſariò poſtulare duo verba præteriti temporis antecedente particulâ* ܟܕ

in hunc modum ܐܠܘ ܐܬܦܪܥ ܡܩܒܠ

Genius enim Linguæ Syriacæ poſtulat, vt in propoſitionibus hypotheticis præteriti temporis particula ܐܠܘ *vſurpetur, ſequentibus duobus verbis præteriti temporis;* ܐܢ *verò in omnibus aliis.*

Quod ipſe dicis aduersùs me de verbo ܐܬܦܪܥ quod ſit ſcilicet futuri temporis, nec vertendum propterea per pluſquàm perfectum, idipſum ego aduersùs te retorqueo de verbo ܡܩܒܠ quod eſt præteriti temporis, nec eſſe vertendum per futurum *recipies*, vt tu vertendum contendis; cúmque nullam proferas in medium tuæ aſſertionis rationem, ego quoque eâdem re-

gulâ, & facilitate tibi reſpondere poſſum, & ad hominem: Cùm conſtet etiam apud eos, qui Linguæ Syriacæ rudimenta ſalutarunt, verbum ܩܒܠܬ eſſe præteriti temporis; quis docuit VALERIANVM DE FLAVIGNY præteritum illud vertendum eſſe per futurum? At nolo rem tanti momenti, vt ipſe facis, verbis eludere. Vt ſcias igitur ſemel, cur duo verba, vnum in futuro, alterum in præterito reddiderim per præteritũ pluſquàm perfectum, hanc à nobis verſionis accipe rationẽ. Cùm euidentiſſimè conſtet verbũ ܩܒܠܬ eſſe pręteriti tẽporis, & ex vi puncti poſiti ſupra primã thematis primam deſignare perſonã, vti probatũ eſt, quæ eſt Dei loquentis ad Caïn, neceſſariò *acceptio*, ſiue *acceptatio* illa, vt ita dicam, refertur ad præteritam

actionem, atque ita cùm dixit Deus, *accepiſſem*, ſeu *acceptaſſem*, neceſſariò præteritum illud ex vi actionis præteritæ attrahit ad ſe futurum ſibi in eadem actione conjunctum. Ratio autem cur potiùs hîc præteritum attrahit ad ſe futurum, quàm futurum attrahat ad ſe præteritum, eſt, quia *acceptio* quæ eſt præterita, reſpicit hîc actionem præteritam à qua dependet, quæ niſi facta, tranſactaque fuiſſet, non poterat accipi, vel reſpui. Et hæc eſt ratio cur futurum illud verterim per præteritum. Quamquam minimè ſum ignarus, Caïni parricidium, interdictumque ſacrificium tibi magis accommoda eſſe in futuro, quàm in præterito.

Pergis pag. 18. & 19. *Mirum planè hominem illum eruditiſſimum, & qui alienis laboribus gloriam inuidet, neſciiſſe ſenſum iſtum*, ſi benè egiſſes acceptaſſem, *neceſſariò poſtulare duo*

verba præteriti temporis antecedente particulâ ܐܠܘ *in hunc modum* ܐܠܘ ܐܡܥܬ ܠܝ ܗܘܐ *Genius enim Linguæ Syriacæ poſtulat, vt in propoſitionibus hypotheticis præteriti temporis particula* ܐܠܘ *vſurpetur, ſequentibus duobus verbis præteriti temporis,* ܐܢ *verò in omnibus aliis. Sed hæc clariora ſunt, quàm vt illuſtratione mea indigeant.*

Mirum planiſſimè, te eruditiſſimum, & prudentiſſimum, ſi Mineruæ placet, hæc tam temerè protuliſſe. Verùm à te quæro, vndè tibi conſtat, me alienis laboribus gloriam inuidere? Quid tibi vis fieri ſi contrarium à me demonſtretur, vt mox patebit? An non Doctoris, qui ſe tot titulis clarum gloriatur,

exiſtimatio periclitatur? At verò parùm curas quid honori, quid exiſtimationi tuæ decedat, dummodò Corybantum more furere tibi liceat. Sed nunc in rem præſentem veniamus.

Aſſeris me neſciiſſe ſenſum iſtum, *Si benè egiſſes, acceptaſſem*, neceſſariò poſtulare duo verba præteriti temporis; tu verò cur neſcias, ſenſum iſtum: *Si benè egeris, recipies*, poſtulare neceſſariò duo verba futuri temporis? Et cùm ſis in eadem naui, imò te major vrgeat difficultas, cùm verſionis meæ reddiderim rationem, tu verò minimè, cur dicere te non pudet: *Sine eijciam feſtucam de oculo tuo?* Illud etiam ܐܡܩܝܬ quod ais ita legendum eſſe in ſecunda perſona præteriti, tuæ eximiæ eruditionis Syriacæ manifeſtiſſimum eſt indicium, ac argumen-

tum, quia non me corrigis ſolùm, ſed omnes etiam Linguæ Syriacæ Scriptores, quandoquidem punctuatio illa cum *Ruoſſo* ſub tertia thematis omnibus eſt inaudita Grãmaticis, Coquis, ac Pædagogis, nec minùs Præceptori tuo id nouum erit, cujus patientiâ tam turpiter abuteris. Tui commiſeratione motus, nollem etiam tuus reſciret Magiſter, te ſcripſiſſe in propoſitionibus hypotheticis præteriti temporis particulam ܐܠܘ vſurpari ſequentibus duobus verbis præteriti temporis, ܐܢ verò in omnibus aliis. Quandoquidem ipſe in ſuis Editionibus, ne alios tibi proferam, ſæpiſſimè particulam ܐܢ, quam tu à præterito reijcis, ita genio tuæ nouæ Linguæ Syriacæ poſtulante, prę-
terito

terito conjungit, & aſſociat. Cap. 13. Leuitici, ver. 4. ita legitur ܘܐܢ ܒܗܦܩܬܐ ܚܘܪܐ· *Si verò macula candicauerit.* Ibidem ver. 5. ܘܢܚܙܝܘܗܝ ܟܗܢܐ ܒܝܘܡܐ ܫܒܝܥܝܐ ܐܢ ܩܡܬ· ܡܚܘܬܐ ܒܕܘܟܬܗ : ܘܠܐ ܗܦܟܬ *Tum conſiderabit eam Sacerdos in die ſeptimo: ſi ſteterit plaga in loco ſuo, & non diffluxit.* Ibid. v. 6. ܘܢܚܙܝܘܗܝ ܟܗܢܐ ܬܘܒ ܫܒܥܐ ܝܘܡܝܢ ܐܚܪܢܝܢ ܐܢ ܐܬܕܥܟܬ· *Rurſus conſideret eam Sacerdos poſt ſeptem dies alios: ſi extincta eſt plaga, nec progreſſa eſt.* Ibidem verſu decimoſeptimo

ܘܢܚܙܐ ܟܗܢܐ ܐܢ ܐܬܗܦܟܬ.

ܡܚܘܬܐ ܠܡܚܘܪܘ *Et videat Sacerdos: ſi verſa eſt plaga ad albeſcendum.* Hujuſmodi exempla occurrunt infinita in Sacris Literis, quæ ibi videre poteris, FLAVIGNANE Doctiſſime. Vbi nunc eſt pudor? Vbi Doctoris Celeberrimi exiſtimatio? Vbi Thraſonica geſticulatio? Vbi eruditio illa inſolens? Vſurpatur-ne in allatis exemplis particula ܐܢ *en* cum verbis præteritis in propoſitionibus hypotheticis contra tuam FLAVIGNANICAM regulam? O malè, imò peſſimè collocatam longam illam, & aſſiduam conſuetudinem, quæ ſemper tibi fuit cum Clariſſimo Viro D. Gabriele Sionita Linguarum Orientalium Profeſſore Regio longè me-

Digitized by Google

ritiſsimo, quæ te nobis tantùm Syroaſtrum peperit, & importunum Cenſorem! *Ne ſutor vltra crepidam.*

Sed ad alia properemus, videamuſque an feliciùs cæteras impoſturas ſis architectatus, & an veritas à tuo prodire ſemel ore poſſit.

Hæc Epiſtola tua prima pag. 16. his verbis inchoatur: *Porrò Libello Ruth obſtetricatus eſt Abrahamus Ecchellenſis Maronita, nuper Româ Pariſios aduocatus, vt violatis omnibus æquitatis ac juſtitiæ juribus debitam Clariſsimi Gabrielis Sionitæ laboribus gloriam præriperet.* Eandem fermè ſententiam repetis ibidem pag. 19. & Epiſt. 3. pag. 6.

Si impudens ille eſt, ex Philoſopho, *qui vbique, & in omnes loquitur, & omnia vtcunque venerint*; Siue vt Demoſthenes ait: *Qua ex re impudens eſt appellatus, niſi quia iſta, quę neque ſunt, neque facta ſunt, propter impudentiam*

palàm dicere nihil pudet? Certè ab hoc vitio te neque védicare hîc poſſum, neque excuſare; quia iſta quæ in me obloqueris & effutis, neque ſunt, neque facta ſunt: adeóque manifeſtiſſimæ veritati ex more, & luci meridianæ tenebras offundis. Imò quod magis dolendum eſt, non mihi ſolùm, ô bone, imponis, ſed & Clariſſimo Viro D. Gabrieli Sionitæ, cujus cauſam hîc agere videris, & dùm amicum falſis rationibus defendis, illum grauiùs offendis. Quandoquidem Româ Pariſios nequaquàm ſum aduocatus, vt violatis ęquitatis, & juſtitiæ juribus debitam ipſius laboribus gloriam præriperem, vt ais, ſed vt reſtituerem; adeóque in animum inducere meum non poſſum, vt credam, eum ita cæcutire mente, vt ejuſmodi impudentiſſimum commentum in mortalium lucem proferat, cùm contrarium ipſi omninò

conſtet, nec magno labore probari poſſit ipſiuſmet confeſſione, qui ſuis literis enixè me rogauit, vt quamprimùm Româ Pariſios contenderem, vt meo teſtimonio ejus Verſiones ab omni infidelitatis ſuſpicione vendicarem. Hæc ſunt ejus ipſiſſima verba in literis ad me datis Lutetiæ Pariſiorum Romam An. Dom. 1640. die 12. Menſis Iulij. Poſt aliqua quæ ad preſentem rem noſtram non faciunt, hæc ſubdit:

Cùm Dei ope veritas patuerit, & è carceribus liberatus ſim, opponi cœptũ eſt, meos Textus Syriacos, & Arabicos haud eſſe correctos, ac Verſiones meas eſſe imperfectas, idque propter Editionẽ proſequi noluerunt ij, quorũ intererat, donec Româ alij Codices ac homines Arabicè, & Syriacè periti venirent. Cùm autem nobis relatum eſſet, eos ad fraternitatẽ tuam hac de re ſcripſiſſe, quæſo, ſi animo decreueris, & venire cõſtitueris

ad has regiones, ne moras protrahas, aut prætexas impedimenta, ſed quãprimùm veni ad liberandum me ab animi mœroribus, & contentionibus, in quibus cum illis quotidiè verſor. Deus te benedicat frater mi, & popularis meus, ne moras protrahas, ſi venire placet. Certiorem vt me facias de tuo conſilio, rogo, vt te cum gaudio, & lætitia expectem.

Diſplicet nunc alias literas ejuſdem Clariſſimi D. Gabrielis Sionitæ non eſſe ad manus, in quibus fuſiùs hac de re loquitur, ſuumque aperit animum; ſed hoc nihil intereſt, vna Epiſtola loco omnium eſto. Quid poſthæc factum eſt? Lutetiam veni. Quid primùm præſtiti, Ingenuiſsiſime DE FLAVIGNY? Verſiones Clariſsimi Gabrielis Sionitæ euolui, & cum ſuis contuli Autographis, eaſq; meâ hac ſyngraphâ approbaui.

Iuſſu Eminentiſſimi Principis Car-

dinalis Ducis mihi infraſcripto injuncto ab Illuſtriſſimis & Reuerendiſſimis D. D. Leonorio d'Eſtampes Archiepiſcopo Rhemenſi, & Iacobo Leſcot Epiſcopo Carnotenſi, ad incœptum Multilinguis Editionis Magnorum Bibliorum opus promouendum ab eodem Eminentiſſimo delegatis: eorumdem Bibliorum Verſiones à Clariſſimo Doctiſſimoq; Viro D. Gabriele Sionita Maronita è Libano Sacræ Theologiæ Doctore, & Regio Linguarum Orientalium Profeſſore ac Interprete Latini juris factas ex Syrorum, & Arabum linguis, ſedulò euolui, atque perlegi, eaſque Syriaco, & Arabico Archetypis omninò conformes comperi, ac fideliſſimè expreſſas: ita ſanè vt tam eminens opus Eminentiſſimo Richeliano nomine dignum ſit habendum. In quorum omnium fidem proprij Chirographi adhibitâ cautione omnibus teſtatum eſſe volui. Datum Pariſiis die 15.

Decembris M. DC. XLI.

Jta Cenſeo ego Abrahamus Ecchellenſis Maronita Philoſophiæ, & Sacræ Theologiæ Profeſſor, & Linguarum Orientalium in almo Vrbis Gymnaſio publicus Lector.

His non contentus, nullum non moui lapidem, vt partium diſſidentes animos reconciliarem, ne minimum quid gloriæ Clariſſimi Gabrielis Sionitæ decederet; adeóque precibus obtinui tandem, vt partes ſequentibus ſubſcriberent articulis, & conuentionibus ad proſequendam Editionem.

Cùm ex Eminentiſſimi Domini Cardinalis Ducis Richelæi juſſu Sacrorum Librorum Codices Syriacæ, & Arabicæ Editionis, vnà cum Latinis vtriuſque Verſionibus Clariſſimi Doctiſſimique Viri Domini Gabrielis Sionitæ Philoſophiæ atque Sacræ Theologiæ Doctoris, cùm cuſis, tùm cudendis, examinaſſem,

minaſſem, câ quâ potui diligentiâ, & ſedulitate, eaſque tanto viro dignas eſſem nactus; operæ pretium me factu- rum duxi, & Chriſtiani hominis par- tibus ac munere functurum, ſi cum his Verſionibus inter ſe ſe reconciliandis, reconciliarem & partium animos jamdudum concitatos (quod magnis in rebus moliendis paſſim accidere ſolitum eſt) vt tale, ac tantum Opus, & jam- pridem luce dignum, atque toti Chriſ- tiano orbi expectatum, exoptatum, & ad ceruices vſque perductum, in lite- ratorum aſpectum tandem prodeat, & meritas conſequatur laudes, vbereſ- que exindè omnis generis decerpantur fructus. Ac ne tanti diu lateant labo- res, & Domini Le Iay ſtudia, cona- tus, magnificentia, regiuſque animus in tam præclariſſimo Opere aggredien- do, in longiori nocte jaceant, & vt abſolutioni, ac operi coronidi impo- nendæ conſulatur. Quamobrem inter-

poſitâ, & operâ, & labore, & precibus, haud dedignatæ ſunt partes rem totam mihi deferre, quà ſpectat Operis abſolutionem. Hinc intactis, illæſis, atque immotis vtriuſque partis commodis, ac juribus, ſubjectos compoſui, & propoſui articulos à partibus ſeruandos pro Operis abſolutione, quos vnanimi conſenſu acceptantes, propriâ ſyngraphâ confirmarunt.

ARTICVLI.

I.

Principium dabitur Editioni ſtatim atque abſoluta fuerit Hiſtoria Machabæorum, quod erit, Deo fauente, circa Kalendas Septembris; admonenduſque erit D. Gabriel per octo dies antè. Auſpicandumque erit à quarto libro Regum.

II.

Cùm cœpta fuerit impreſſio, nullòmodò, nulliſque moris intermittatur,

ſed ad finem vſque inſtanter perducatur.

III.

Vbi folium cuſum fuerit, detur Domino Gabrieli vnum ejuſdem folij exemplar, vt hac ratione vitari poſſit illud repetitionis, aut defectûs vitium, quod in ſequenti folio contigiſſe deprehenſum eſt.

IIII.

Singulis diebus horâ octauâ matutinâ afferatur ſpecimen caſtigandum, horâ nonâ deferatur; Et pari modo horâ pomeridianâ primâ alterum afferatur ſpecimen, ſecundâ deferatur.

V.

Poſtremum ſpecimen caſtigatum & Domini Gabrielis ſyngraphâ ſignatum ad ambarum partium innocentiam aſſerendam, apud Typographum aſſeruetur, eâ conditione, vt illud exhibere teneatur, quoties à dicto Domino Gabriele poſtulatum fuerit.

Digitized by Google

V I.

Ex Arabicis, Syriacis, & Latinis Verſionibus tantum Typographo ſuppeditabitur, quantum ſufficiat ad prelum indeſinenter exercendum: Adeóque primâ vice dabuntur à Domino Gabriele duo Quaterniones Syriaci, totidemque Arabici, cum vtriuſque Verſionibus Latinis. Vbi primus Quaternio cuſus fuerit, reſtituetur dicto Dom. Gabrieli vnà cum vtriuſque Verſionibus; ac tùm Dom. Gabriel tertium Quaternionem prædicto modo ſuppeditabit: & ſic deinceps. Quoties Typographus ſcripta D. Gabrielis accipiet, ſyngraphâ ſuâ teſtatũ relinquet apud eundem, quidquid ab eo acceperit; quam ſyngrapham ſeruabit apud ſe Dom. Gabriel, aliamque ſyngrapham Typographo dabit de receptis Quaternionibus, eorumque Verſionibus, atque hujuſcemodi ordinem ſeruabunt, ad finem vſque totius Operis.

VII.

Cùm verò ad opus tuendum res poſtulauerit, exhibebit Dom. Gabriel Exemplaria ſua Arabica, & Syriaca, cum Verſionibus, quandiù illa præ manibus habuerit, & ſui juris fuerint.

In cudendis Bibliorum reliquis libris, idem ſeruabitur ordo, atque in Editione Hebræa eorumdem Bibliorũ. Lutetię Pariſiorum die quintâ Auguſti, Anno Domini 1641. Gabriel Sionita. Le Iay. Abrahamus Ecchellenſis.

Quid pluribus? Aliqui deſiderabantur in Codicibus Clariſsimi Viri D. Gabrielis Sionitæ libri, vt Ruth, Eſther, Tobias, Iudith, Baruch, Machabæorum &c. quos mecum Româ attuleram, partim ex Codicibus Collegii Maronitarum de Vrbe, partim Collegii ejuſdem nationis Rauennatis, partim ex Codicibus bonæ memoriæ Illuſtriſsimi Sergii Riſii Archiepiſcopi Damaſceni Ma-

ronitæ, ſuiſque adornaui Verſionibus, & Vocalibus. Et cùm, editis ex his Ruth, ac tertio Machabęorum, intellexerim, id Clariſsimo Viro D. Gabrieli Sionitæ vtcumque diſplicere, ab incœpto deſtiti opere, non abſque magno Clariſsimi Viri D. Le Iay diſpendio, & fortè Literariæ Reipublicæ injuria.

Ipſi libri cum ſuis Verſionibus integri extant apud præfatũ Clariſsimũ D. Le Iay cum quibuſdam notis, ac variis lectionibus, quas partim collegi ex collatione Textûs quondam Illuſtriſsimi Archiepiſcopi Damaſceni, nunc verò Eminentiſsimi Cardinalis Mazarini, cũ Textu edito in Magnis Bibliis, partim ex collatione eorum, quæ ad me Pariſiis Romã miſerat olim pręfatus D. Gabriel Sionita, nec non dubia quædam & mendas, quas in eiuſdem D. Gabrielis Verſionibus adnotaui, dum illas

recenſui ex mandato Eminentiſsimi Cardinalis Richelii, vt ſupra dictum eſt.

Vnum hoc argumentum ſatis ſuperque apud probos, improboſque, meam ingenuitatem, ac generoſum animum adhuc declarare debet contra obtrectatores; quòd quamuis ſtipendia, quibus nunc Regiâ fruor liberalitate, mihi conceſſa fuerint An. Dom. 1641. à Rege Ludouico XIII. glorioſæ memoriæ, operâ Eminentiſsimi Cardinalis Ducis Richelii felicis recordationis; ea tamen acceptare nolui, ſed eodem anno Romam reuerſus ſum, moraſque ibi protraxi ferè vſque ad finem An. 1645. quo coronis, & abſolutio Magnorũ Bibliorum Operi impoſita fuit. Hoc autem vt omnem vmbram adimerem illis, qui vel minimùm animum meum fidemue erga Clariſsimi D. Gabrielis Sionitæ la-

bores, elucubrationes, gloriam, aut exiſtimationem ſuſpicari poterant. His addo hoc aliud: Præceperat Eminentiſsimus Cardinalis ille Richelius, immortalitate digniſsim⁹, vt mihi annua illa penſio eo anno erogaretur, quã nullo tamen modo exigere volui, ne ad reditum ante Operis Magnorum Bibliorum abſolutionem, me obligarem. Illud enim Sapientis mihi ſemper placuit: *Honor eſt homini, qui ſeparat ſe à contentionibus.*

Rei huius teſtem inſtar omnium nunc appello Illuſtriſsimum Leonorium d'Eſtampes Rhemenſem Archiepiſcopum, qui nomine præfati Eminentiſsimi Cardinalis hæc primùm mihi denunciauit, tùm, vt meritas grates illi referrem, me ad ipſum adduxit.

Ex his æqui nunc iudicent, VALERIANE, & iniqui ſimul, probi, ac improbi,

improbi, an Româ Pariſios ſim aduocatus, vt imprudenter aſſeris, ad violanda æquitatis, & juſtitiæ jura, ac debitam D. Gabrielis Sionitæ laboribus gloriam pręripiendam, niſi ſuę demptum glorię exiſtimet, quicquid ceſsit alienę. Videant, quis noſtrum Cerdo ſit, cuique competat Adagium illud tuum, *Tecum habita &c.* Ea omnia, quę hactenùs geſta ſunt, quis non videt, niſi cæcutiat, ſola D. Gabrielis Sionitę reſpicere commoda & gloriam? Imò non parùm me pudet, iter illud meum tanto diſpendio fuiſſe Clariſsimo Viro D. Le Iay, commodi verò nihil attuliſſe. Illud etiam ingenuè atteſtari poſſum, virum illum frugi, ac modeſtum nunquàm operam meam aut ſollicitaſſe, aut exegiſſe contrà gloriam, commoda, aut exiſtimationem D. Gabrielis Sionitæ. Hoc vnum prætermittendum non

eſt, vt omnibus pateat, ac magis planum ſit, quantâ animi moderatione ſe geſſit adhuc in ſua re. Inter mea aduerſaria, quæ apud illum depoſueram, ſcriptum quoddam nactus eſt, quod fuerat olim ſpectabilis Viri Abbatis Victorij Scialach Accurenſis Maronitæ, quod ad cauſam, quæ vertitur inter ipſum ac Dom. Gabrielem Sionitam nonnihil faciebat, eo nihilominùs vti noluit, ne in ſuſpicionem induceretur D. Sionita, illud à me profectum fuiſſe. Ex dictis itaque planum eſt, Valeriane, te non ratione aut amore veritatis hæc aſſeruiſſe, ſed cauteriatâ conſcientiâ, & cæcâ quadam animi libidine inductum. *Quid eſt tam futile*, inquit Cicero, *quàm quicquam approbare non cognitum? nec hoc quicquam eſt turpiùs, quàm cognitioni, & perceptioni aſſertionem approbationemque percurrere; & ſuam*

ſidem alterius nudis dictis mancipare propter occultas hominum voluntates, multiplicesſque naturas. Faxit igitur Deus Optimus Maximus, tibique det mentem, vt tandem aliquando hiſce meis monitis, & animaduerſionibus reſipiſcas; ne ſi pergas vlteriùs aliis imponere, aliena carpere facta, & haurire mendacia, vt hactenùs feciſti, tuis neglectis, ejuſmodi contrahes habitum, vt de te jure merito dici poſſit illud Prouerb. cap. 22. ver. 6. *Prouerbium eſt: Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Et hoc Ierem. 13. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut Pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cùm dilexeritis malum.* Nec-non illud Eccleſ. 23. *Homo aſſuetus in verbis improperij, in omnibus diebus ſuis non erudietur.*

Itaque ſi veram gloriam captas,

tiùs, quàm illius, quam mihi coram Illuſtriſſimo Viro Bignonio tã arrogantibus verbis præſtitiſti, ejuſque promiſſionis tuæ fidem turpiſſimis mendis, fœdiſſimiſque impoſturis deturpaſti potiùs, quàm liberaſti, aut ſoluiſti. LVTETIÆ PARISIORVM.

VALE VALERIANE,
ÆTERNVMQVE VALE, TVÆQVE
BVLLATÆ VALEANT NVGÆ.

ELENCHVS MENDORVM,

QVÆ CONTINENTVR IN TRIBVS TOMIS Operum Doctiſſimi VALERIANI DE FLAVIGNY.

VALERIANVS DE FLAVIGNY, optime Lector, Doctor ſuo judicio Doctiſſimus, & aliorũ Operum Cenſor acerrimus, quatuor conſcripſit Tomos *in octauo*. Primus inſcribitur *Oratio Apologetica pro Veritate Hebraïca*, conſtans 52. paginulis. Secundus eſt Epiſtola inſcripta, *De Ingenti Bibliorum Opere ſeptilingui*, conſtans 19. paginulis. Tertius eſt etiam alia Epiſtola aduersùs me, conſtans 21. paginu-

Digitized by Google

lis. Quartus eſt item *Epiſtola de Ingenti Bibliorum Opere* conſtans ſeptuaginta octo paginulis. Alia quoquè ejuſmodi Opera ab ipſo indies expectamus. Vt igitur & ipſe noſcat, ſe Hominem eſſe, & non Beſtiam, operæ pretium me facturum duxi, Erratorum, quæ continentur in primis tribus Tomis, Elenchum hîc adjungere. De quarto in ejus gratiam nihil inpræſens ſtatuo, & Hebraïca lubens prætereo, quemadmodùm Chaldaïca, & Syriaca, & ſola Latina noto, ne furenti majoris furoris ſuppeditetur materia, & nocendi anſa; nam vel in Olympum minitatur, ſi vel minimum quid dicam de iis, quæ in Bibliis notauit. Sed

Stulti quid proprium? non poſſe, & velle nocere.

O perdita Hebraïca Volumina, ſi te habuiſſent Correctorem!

EX

EX TOMO PRIMO.

Errata.	*Correctio.*
Pag. 4. diſipiunt.	Diſſipiunt.
p. 15. accſepimus.	accepimus.
p. 20. delirantum.	delirantium.
ibidem.cognitionæ.	cognitione.
p. 22. fæliciter.	fœliciter.
p. 27. peruicaſſimi.	peruicaciſſimi.
p. 30. demonſtrenus.	demonſtremus.
p. 49. varitas.	varietas.
p. 50. ab obtinendam.	ad obtinendam.

EX TOMO SECVNDO.

Errata.	*Correctio.*
Pag. 9. Syrocum.	Syrorum.
p. 12. erudiſſimos.	eruditiſſimos.
p.14.Antuerpienfibus.	Antuerpienſibus.
p.15. Preſbyſtero.	Preſbytero.
ibidem. oculis oculis.	oculis.
p.16. Hæbreo.	Hebræo.
p. 17. quæſque.	quaſque.
p. 18. exſpectationem.	expectationem.
ibidem. deteruiſſet.	deterruiſſet.

EX TOMO TERTIO.

Errata.	*Correctio.*
Pag. 3. nuper per.	nuper.
p. 12. craſſimum.	craſſiſſimum.
ibid. bis. diſſentionem.	diſſenſionem.
p. 18. a verbi.	verbi.
ibidem. quo.	à quo.
ibidem. ardellionem.	ardelionem.
ibidem. Pthohho.	Phtohho.
pag. 19. filiæ.	filiæ meæ.
ibid. Bethlehem Iuda.	Bethlehem.
p. 20. ſuperfucrat.	ſuperfuerat.
ibidem. luculentiſſimum abſque vllo ſubſtantiuo.	
pag. 21. Luteriæ.	Lutetiæ.

HYpocrita eijce primùm trabẽ de oculo tuo, & tunc videbis eijcere feſtucam de oculo fratris tui. *S. Matth. cap. 7.*

ABRAHAMI
ECCHELLENSIS
MARONITÆ.

Chriſtianiſſimi Regis Linguarum Syriacæ, & Arabicæ Interpretis, ac earundem in alma Pariſienſium Academia Profeſſoris Regij.

EPISTOLA APOLOGETICA TERTIA.

In qua reſpondetur ad Libellum quendam Supplicem Supremo Galliarum Senatui oblatum à D. Gabriele Sionita Chriſtianiſſimi Regis Linguarum Syriacæ, & Arabicæ Interprete, ac earundem in alma Pariſienſium Academia Profeſſore Regio. Diluunturq; Calũniȩ quamplures in eo contentæ aduersùs Auctorem.

Ad eundem GABRIELEM SIONITAM, *vt tandem aliquando ſibi adulari deſiſtat, ſuaſque ex aliorum vituperatione captare Laudes.*

Non efficiamini inanis gloriæ cupidi inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. *Gal. 5.*

Væ qui Sapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes. *Iſa. cap 5. ver. 21.*

M. DC. XLVII.

ABRAHAMVS
ECCHELLENSIS
GABRIELI
SIONITÆ.

QVAMQVAM ſatis ſuperque ex ſuperioribus reſponſum ſit, mi Gabriel, quibuſdam tuis calumniis, quas VALERIANVS DE FLAVIGNY non ſecus ac Aſpis à Vipera venenum hauſit; pernicioſius nihilominùs atque atrocius virus non in omnium aſpectum & lucem protuliſti; ſed propinaſti clam, ac furtiuè, vt crudeliùs inficeret, atque interficeret. Nam

Liuor iners vitium, mores non exit in altos,
Vtque latens ima Vipera ſerpit humo.

Quamobrem non ſponte, ſed coactus, atque inuitus (Deum, hominesſque teſtor) proprij honoris, exiſtimationis, ac famæ tot oppugnatæ calumniis, & impoſturis defenſionem ſuſcipio aduersùs hominem ejuſdem Regionis, ejuſdem Religionis, ejuſdem Profeſſionis. Ejuſmodi enim defenſio jure naturæ, ac Diuino conceſſa, & licita eſt; vndè vir quidam ſummus ait: *Defenſio eſt ex Lege Naturæ, cunctis Mortalibus communis Summi Dei voluntate, Gentiumque Conſenſu comprobata. Non eſt enim hæc ab hominibus facta Lex, ſed ab ipſa Natura in omnium hominum pectoribus, atque animis inſculpta, inſcripta, infixa.* Imò non ſolùm mihi eſſem injurius, ſi juſtam defenſionem non ſuſciperem, ſed etiam Parentibus, Patriæ, & Amicis, quippè vt Romanæ Eloquentiæ parens Cicero

Cicero auctor eſt lib. 3. de Officiis: *Qui non defendit, nec obſiſtit injuriæ ſi poteſt, tam eſt in vitio, quàm ſi parentes, aut amicos, aut patriam deſerat.* Abneri defenſio aduersùs Aſaëlem ex Sacris Literis magis nota eſt, quàm vt illam hîc commemorem. Ille inſequentem hoſtem, vrgentemque bis rogauit, vt ab incœpto deſiſteret: at ego millies meis officiis, obſequiis, patientiâ, ac manſuetudinis plectro tuum, mi Gabriel, demulcere animum ſtudui, ſed fruſtrà ſemper omnem collocaui operam, & oleum perdidi. Imò his efferatior indies euaſiſti, ac ferocior; vndè illud D. Baſilij Serm. de Inuid. dictum certiſſimum eſſe deprehendi: *Canes nutricatione cicurantur, & cultu manſueſcunt Leones: inuidi verò ad obſequium magis efferantur.* Nec minùs verum illud Poëtæ Arabis nunc animaduerto.

اظن الحلم اطمع في قومي

وقد يستجهل الرجل الحليم

Puto manſuetudinem, contemptum me reddidiſſe apud meos,
Quandoquidem pro ignauo habetur vir manſuetus.

Hæc mea ſanè manſuetudo, & patientia eò te adegit, mi Gabriel, vt minimè te puduiſſet ſæpè ſæpiùs cum tuo *Laquai*, ſiue Pediſſequo indicere diſputationem de loco illo cap. 4. ver. 7. Geneſ. *Si benè egeris, recipies*, quem ego ex Syriaco Textu notaui vt variam lectionem, *Si benè egiſſes, acceptaſſem.* Quis hæc, & multò atrociora æquiori hactenùs tuliſſet animo, quàm ego; aut audentiùs, & majori animi ingrati notâ protuliſſet, quàm tu in eum, qui nec verbulo quidem te affecit injuriâ, nec ſcriptis, imò

contrà, tui honoris, & exiſtimationis vtroque modo defenſionem ſuſcepit, vt ex dictis Epiſtolâ ſecundâ planiſſimè conſtat. Toties igitur prouocatus, & laceſſitus tam indignis, & iniquis modis reſpondendum tandem duxi, vt mihi tibique ſimul conſulerem. Mihi quidem, ne diuturno ſilentio profundoque horrendas calumnias aut approbare videar, aut eas propulſare non audeam. Tibi verò, ne veritatis majeſtatem commentis offendere pergas, tuamque gloriam, & laudes ab aliorum captare vituperatione, ſed vt illo D. Hieronymi Epiſt. ad Nepot. reſipiſcas monito: *Vilium ſatis hominum eſt, & ſuam laudem quærentium, alios viles facere, quia alterius vituperatione ſe laudari putant.* Probis igitur quibuſque, & præſertim noſtræ Gentis hominibus ſatis abundè ex his,

& ſuperioribus purgatus reſponſionem exordiar, breuique expediam.

Aſſeris itaque, mi Gabriel, inter cętera in tuo illo Supplici Libello, quem Supremo Galliarum Senatui, aduersùs D. Le Iay obtuliſti: *Faus auſſy ce qu'il dit* (Monſieur Le Iay) *que par le meſme moyen il a fait renuoier vn nommé Abraham qu'il auoit fait venir de Rome pour trauailler à ladite Bible.*

Iſte quidam, mi Gabriel, *nommé Abraham*, ille idem eſt, quem ipſe paulò antè in tuis literis fratrem appellabas, rogabaſque impensè, vt Româ Lutętiam Pariſiorum quamprimùm contenderet, vt ſuo teſtimonio tuis Verſionibus Syriacis, & Arabicis approbatis, te ab animi mœroribus, & calumniis, quæ tibi impingebantur, vt aiebas, vendicaret. Nunc verò, cùm eâ animi ingenuitate, ſynceritate, & a-

more præſtiterit, quod enixè efflagitabas, vt ex ſuperiore Epiſtola conſtat, non eſt ampliùs tibi frater, nec amicus, ſed vix notus, & *quidam*,

Nihil amas, ſi ingratum amas.

Pergis. *Le ſujet de ſon retour à Rome a eſté quil couſtoit audit Le Iay trois mil liures par an comme il ſe void par laccord fait entr'eux, & qu'en vn an il n'a fait, que quatre chapitres du liure de Ruth.*

Exponam tibi breuiter cauſam, & conſilium mei reditûs, ètſi vtrumque tibi compertiſſimum ſit. Cùm Româ Pariſios aduocatus fui, & tuis ſollicitatus literis, Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Decreto coram Sanctiſſimo Papa habitæ vnius anni tantùm ſpatium mihi conceſſum eſt, datâ priùs fide ad tempus condictum reuertendi. Decretum non eſt nunc ad manum, ſed ſi cauillaberis hac de re,

duorum menſium ſpatio illud habebis, & id ad me recipio. Cauſa igitur mei reditûs non eſt ea, quam tu proprio marte effinxiſti. Quòd verò illius anni ſpatio præter tuarum Verſionum recenſionem, & quatuor capita Libelli Ruth, plura alia confecerim, contra hanc tuã aſſertionem, demonſtrare haud difficile erit. Siquidem apud Clariſſimum D. Le Iay extant meâ exarati manu Syriacè & Arabicè ſuis adornati punctis vnà cum Verſionibus Latinis quartus Liber Regum, tres Libri Eſdræ, Iudith, Tobias, Baruch, & duo Libri Machabæorum. Ad hæc Latinè verti ex Arabico, & edidi in Magnis Bibliis tertium Librum Machabæorum. Prætereà Latinitate donaui Epiſtolas viginti S. Antonij Magni Abbatis, eaſque publici juris feci, quemadmodùm & alium Libel-

lum inſcriptum: *Propoſita Arabum Philoſophorum.* Cur autem eos Bibliorum Libros non edidi, ratio ſuperiùs aſſignata eſt Epiſtolâ alterâ, nempè in tui gratiam, etſi tu nunc, mi Gabriel, id mihi in grati animi ſignificationem vitio vertas. Pactum trium millium librarum lubens prætercam, & reliquorum catalogo inſcribam.

Proſequeris: *Et puis qu'il publie Abraham ſi ſçauant, pourquoy dit il lors, qu'il falloit faire reimprimer ce qu'il auoit fait?*

Id à te, mi Gabriel, non itidem à Domino Le Iay aſſeritur. Quis enim credat, aut ſibi perſuadere poſſit, hominem cordatum, & judicio prędirum oppoſita ſimul protuliſſe? D. Le Iay me celebrat Sapientem, & ille idem ita ignauum, vt quod edidi iterum cudendum cenſeat? Profectò ratio ipſa tuam refellit

rationem, mi Gabriel, cùm ille contrarias partes ſemper defenderit aduersùs illud tuum Paradoxum, quo Orbi Chriſtiano omni tempore inſinuare conatus es, neminem ſcilicet te præter, ita perfectâ & abſolutâ Syriacæ, & Arabicæ Linguæ cognitione eſſe inſtructum, vt vocalibus, & apicibus Textus Sacros adornare poſſit, vel potuiſſet. Sanè ipſe tibi ſeris, tibi metis, & Aduerſarij ad libitum tuum diſponis propoſitiones, vt accommodatas ac tempeſtiuas tuas inferas concluſiones. Sed vt vt facias, ex falſis præmiſſis non-niſi falſum inferri poteſt. Hoc ſolemne commentum ex ſequente, quod ſolemnius eſt, luculentiſſimè patebit.

Pergis: *Auſſy eſt il vray que ledit Abraham a recognu à tous, que ledit de Sion ayant mis les voyeles au Syriaque,*

Digitized by Google

Syriaque, & à l'Arabe, auoit fait ce qu'il n'y auoit perſonne qui peut faire.

Auſſy eſt-il vray, hoc eſſe ſolemniſſimum mendacium ſeriò à te excogitatum. Deliraſſe me oportuiſſet, hæc aſſerentem, etenim Doctiſſimos, Ampliſſimoſque viros, præſertim noſtræ Gentis, grauiſſimâ ac non ferendâ affeciſſem injuriâ. Ex quo planè patet te Paradoxa effingere ad libitum tam nomine D. Le Iay, quàm meo; & ea de te euulgare, atque venditare, quæ ipſe de teipſo ſentis, atque credis. Hactenùs exiſtimaui, miraculum hoc Mahometum ſolum ſibi adſciuiſſe, qui cap. *Profectionis* jactat, neminem eſſe, qui ſimilem Alcorano componere poſſit.

قُلْ لَئِنِ ٱجْتَمَعَتِ ٱلْإِنْسُ وَٱلْجِنُّ

Digitized by Google

ـنْ عَلَى أَنْ يَاتُوا بِمِثْلِ هٰذَا الْقُرْآنِ لَا
يَاتُونَ بِمِثْلِهِ وَلَوْ كَانَ بَعْضُهُمْ لِبَعْضٍ
ظَهِيرًا ideſt, *Dic: Etiamſi conuenirent Homines, & Diaboli, vt ſimilem huic Alcorano componerent, nequaquàm poterunt, etſi mutuam ſibi conferrent opem.*

Tam celebre, ac inſigne commentum hoc alio confirmas, & roboras: *Que pour luy il ne le pouuoit.*

Dic, te amabo, mi Gabriel, vbi, & quibus omnibus teſtatum eſſe volui, neminem, te præter, vocales Textui Syriaco, & Arabico appingere poſſe, illas autem à me notari non potuiſſe? An ex mea ſyngrapha inſerta præcedenti Epiſtolæ, quâ Verſiones tuas approbaui, & laudaui, id colligis? Sanè ſi id

Digitized by Google

præſtas, ab omnibus ſibilo accipieris, nec mitior in te erit tuus Diomedes, qui Aſſertiones Doctiſſimi Simeonis de Muis authenticam Hebraïcam Veritatem defendentis comprobauit. Iure quidem merito tibi excandeſcet ita malè arguenti, cùm ipſe eandem Veritatem, vt exiſtimat, doctiùs defendat. Apage igitur tam putidam ſequelam & ineptam. Sed fortè, quòd te eâ ſyngraphâ laudauerim, mendacij me arguis, vt de ſimili amico ita ſcriptum reliquit Poëta Arabs.

لا تعجبوا من صديق كنت امدحه
وقد هجاني بما في ذاك من عجب
بل اعجبوا من ذكائه فيه كيف دري
اني كذبت فجازاني على كذب

ideſt,

Ne miremini, ſi amicus, quem laudabam,
Vituperauerit me, hoc ſanè non eſt mirandum,
Sed ejus miremini ſagacitatem, qui reſciens,
Me eſſe mentitum, mendacij ideo me arguit.

Cur, quæ tuis commodis apta ſomnias, abſque vllo pudore alieno decantas ore? O me delirum, ô me dementem, ſi ejuſmodi vnquàm ſomniauerim!

Pergis mendacia mendaciis aggerere. *Ce qui n'eſt rien de nouueau, n'ayant jamais fait profeſſion que d'exercer la Piratique ſur la mer.*

O tempora, ô mores, ô fallacem mortalium ſpeciem! vbi fides? vbi ſynceritas? vbi veritatis amor? Hæc aſſeris, mi Gabriel, cùm æquè tibi ſit cognitum, compertumque, ac mihi, me iiſdem ſtudiis, ac te in eodem Collegio noſtræ Nationis de Vrbe operam nauaſſe? quos hac in Vrbe rei hujus ocula-

tos teſtes appellare poſſum, niſi te, & Sergium Gamerium tuum conſanguineum? Sed profectò nihil mihi facilius eſt, aut magis promptum, quàm hoc probare. Nam præter multa argumenta extant adhuc apud me Philoſophicæ Theſes, quas in Aula Theologiæ Collegij Romani per duas horas cum dimidio publicè ex more defendi. Linguam Syriacam, & Arabicam per octennium docui in Collegio noſtro Maronitarum de Vrbe, vbi & Grammaticam Syriacam ad ejuſdem Collegij Alumnorum vſum edidi ante annos viginti. Eaſdem quoquè Linguas publicè profeſſus ſum cùm in Academia Piſana, tùm Romana, quò honorificentiſſimè euocatus ſum. Cùm ita igitur ſe ſe res habeat, quâ fronte, quâ mente, quo animo, quâ fide, quâ conſcientiâ ſcribere auſus es,

nec horruiſti confidenter affirmare, nihil me præter Piraticam vnquàm profeſſum eſſe, aut exercuiſſe? Verius ſanè dixiſſes, ſi aſſeueraſſes, me parùm, vel nihil profeciſſe in iis ſtudiis, nec ego inficias iuiſſem. Verùm enunciata contra manifeſtiſſimam, & euidentiſſimam Veritatem nemo benè ſanus, aut cordatus æquo animo feret. Quis poſthàc tibi ita ſolemniter mentienti credet? Quis illud haud injuriâ in te non vſurpabit:

Crimine ab vno diſce Omnes?

Sed ad dictionem, *Piratique*, nunc nos conferamus, videamuſque breuiter, quid eo nomine ſignificatur. Te igitur impensè rogo etiam atque etiam, Philiberte, vt mihi dicas, quid Latinè deſignat vox iſta Gallica, *Piratique*, cùm hanc linguam adhuc benè non calleam. Quid ſignificat vox iſta, rogas? Ita

ſignificat *latrocinium maritimum.* Quid ſignificat adhuc, te amabo, *exercer la Piratique*? ſignificat, *in nauigantes graſſari latrociniis.*

Itane, mi Gabriel? Igitur exantlatos pro Patriæ ſalute, libertate, gloria, & commodis labores, vigilias, ſudores, immenſa itinera, ingentes expenſas, & ipſius capitis pericula argiuâ calumniâ appellas maritima latrocinia? O perquàm egregiè ac numerosè hîc tibi quadrat illud Iſa. cap. 5. ver. 20. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Nonne hæc aſſerens bonum dicis malum, pro luce offundis tenebras, & amarum ponis in dulce?

Vt ſemel igitur reſcias. Quid, inquam, vt reſcias, cùm nemini notior ſit rei geſtæ veritas, quàm

tibi? Vt noſtri igitur reſciant Lectores, *Piraticæ* hujus tuæ rationem exponam & anſam, vt quæ mens, quiſque animus ſit tibi, æqui ſimul, & iniqui tui fautores noſcant.

In Patriam itaque cùm Româ reuerſus eſſem, ſtudiorum vtcunque abſoluto curriculo, Sidonem primùm appuli. Ea in vrbe tunc degebat Amirus Fachraddinus, Princeps rerum fortunatè in Oriente geſtarum (ſi Fortuna ad finem vſque comitata eſſet) notiſſimus, & Chriſtiani nominis amiciſſimus, atque obſequentiſſimus. Is, cùm eum ſalutatum adiui, comiter me excepit, & humaniſſimè, ac poſtquàm plura ſciſcitatus eſſet de meo itinere, librum Dioſcoridis cum Matthioli Commentariis ſuo juſſu Arabicè verſum ex Italica lingua operâ cujuſdam mercatoris Chriſtiani, & alterius genere Iudæi,
plurium

plurium tamen Animalium, Inſectorum, Plantarum, ac Mineralium ex multis aliis tam Latinis, quàm Græcis, & Arabibus, hiſtoriâ additâ, & egregiè imitantibus naturam Iconibus. Quem librum cùm ex ejus Principis mandato euoluiſſem, pluribus eum ſcatere mendis deprehendi. Nam quibuſdam in locis nullo modo ſenſum aſſequuti erant Interpretes illi, in terminis paſſim peccauerant, nomina propria rerum ſæpiùs minimè exprimere potuerant Arabicè. Quæ omnia cùm oſtendiſſem Principi illi optimo, vix dici poteſt, quantâ lætitiâ me amplexus fuerit, & humanitate. Mendorum correctio, ac reſtitutio, quam mihi ſtatim injunxit, nullum mihi faceſſit negotium, quòd ejus libri, & commentariorum lectioni operam olim nauaſſem ſedulam. Quod ſanè ejus

Digitized by Google

amoris erga me, & beneuolentiæ acceſſionem conciliauit. Inter beneuolentiæ hujus ſignificationes, & ſigna illud imprimis cenſendum eſt. Aliquando vt ſubditorum erga ſe animos experiretur Princeps ille, & de ipſorum erga Filium ſucceſſorem ſtudiis, fide, ac voluntate periculum faceret, periculoſiſſimum ſimulauit morbum, quem indies ingraueſcere fama erat, tandemque per fidiſſimos amicos rumorem mortis clanculò tamen, ac variis modis ſpargi voluit. Inter hos fidiſſimos Principis amicos, quartus numerabar, nec ad eum trium menſium ſpatio vlli patebat aditus niſi nobis quatuor. Cùm verò meum tam paternum, quàm maternum genus reſciuiſſet, & quàm præclari in armis extitiſſent majores mei, nullam prætermiſit erga me honoris ſignificationem, aut

officium. Imprimis enim omnia mea bona peculiari priuilegio ab omni tributorum genere immunia, ac libera eſſe voluit. Meâ operâ in magnis negotiis, majoriſque momenti, & quæ exploratis amicis committenda tantùm erant, frequenter vtebatur. Interea cùm rumor ſpargeretur, & indies magis magiſque certior fieret Amirus ab amicis, quos Conſtantinopoli habebat, Turcarum Imperatorem infenſiſſimũ ſibi eſſe, ac in illum expeditionẽ machinari, ad Sereniſſimum Hetruriæ Magnum Ducem ſemel, ac iterùm me miſit, non contemnendâ mihi pecuniæ ſummâ traditâ, atque concreditâ. Conſilium autem ipſius fuit, cùm vt fundum aliquem pro ejus liberis, quos mecum alio itinere eò mittere cum reliquo theſauro, meditabatur, compararem; tùm vt naues aliquas

emerem, & inſtruerem ad rerum quoſcunque euentus; tùm vt Sereniſſimi illius Principis, quem Amirus vnicè diligebat, ope, & operâ reliqui Christiani Principes infenſiſſimo, ac communi hoſti bellum inferrent. Quod, quâ potui diligentiâ, præſtiti, & inſtructis Nauibus eò aduolaui. Verùm ad Syriæ maritimam oram appellens deprehendi maximo animi mei mœrore Principem illum ab ingenti Turcarum exercitu obſeſſum teneri in quadam Arce, quæ Specus Giazzin dicebatur, mare verò à ſeptuaginta quinque Triremium claſſe infeſtum haberi. At non propterea ab incœpto deſtiti conſilio, & inſtituto, ſed nullum non moui lapidem ad afferendam Principi de Chriſtianis optimè merito opem, & vt, ſi fieri poſſet, illum cum liberis ac bonis, in

naues reciperem. Verumenimuerò cùm omnem aditum interclu-ſum, interceptumque ab hoſtibus vidiſſem, vt ad illum penetrare, aut auxilia afferre eſſet ſupra vires, ad inferendum hoſtibus majus damnum, quod poteram, animum appuli meum, cœpique mare illud infeſtum habere per aliquod tempus aduersùs Chriſtianę Religionis hoſtes infenſiſſimos, & Naues aliquas tam Turcicas, quàm Barbaricas expugnaui, atque cepi, aliaque præſtiti hujuſmodi. Nunc an verè à te dictum ſit, me ſcilicet latrocinia maritima, eaque continuò exercuiſſe, æqui, ac rerum humanarum periti judicent Lectores. Et ſi hoc vitio mihi vertendum eſt, vt ipſe vertis, vtinam maria infeſta reddere Hoſtibus noſtris eo pacto ſemper & vbique concedatur. Sed de his fuſiùs fortè aliquando dicemus

in Amiri Hiſtoria.

Concludis demùm tuas, mi Gabriel, calumnias: *Et ſeroit aizé à faire veoir qu'à tout ce qu'il a fait il y a des fautes que lon ne tolereroit meſmes à vn enfant.*

Optimè nunc noui, ac luculentiſſimè video, hinc, quod in me euomuit VALERIANVS DE FLAVIGNY, hauſiſſe virus, quod ipſiſſima loquendi formula manifeſtè demonſtrat. In ſumma, tam quæ ſuo ſub nomine effutiit VALERIANVS, quàm quæ ſub nomine cujuſdam Iac: L. ſub VALERIANI ac tua latentis Laruâ, in Epiſtola, quæ fingitur edita Antuerpiæ, ex eadem prodierunt Officina, eundem habuerunt Auctorem, idem omnium venenum eſt, idem finis, & ſcopus. Sed quod ridiculum eſt, & veſtrum prodit fucum, Epiſtola iſta, quæ Bibliorum Opus minutiſſimè carpit, conſcrip-

ta, & edita eſt Antuerpiæ antequàm Bibliis finis impoſitus eſſet Pariſiis, & ante Operis publicationem, vt ex ipſa vtriuſque Æra liquidò patet.

Puerilia menda, quæ me commiſiſſe aſſeris, eorumque facillimá demonſtrationem ad te recipis tam arroganter, eadem ſunt, ac quę Diomedes tuus ſtylo tam virulento notauit, ſed tam infeliciter, vt neſciam an poſthàc ſimilia aggredi audebit, aut tibi importunè ſollicitanti fidem adhibebit. Sed *hîc Rhodus, hîc ſaltus*, quare vt oſtendas rogo. Nimiùm, mi Gabriel, ipſe tibi adularis, nimiùm morbo illo pernicioſiſſimo, quem Philautiam peritiſſimi Medici appellitant, ſeu cæcum ſui amorem, laboras. Quare vt ab hoc ſaneris morbo, qui admirantes ſua reddit inſolentes ad inſaniam vſque, contemplare aliquando, quod

in Manticæ tergo eſt, hujuſque Syrorum Adagij frequentiùs vtere Antidoto ܠܐ ܬܕܘܢ ܠܐܢܫ ܟܕ ܐܝܬ ܒܟ

ܗܘ ܕܡܫܟܠܗ ܕܐܢ ܐܝܬ ܠܚܒܪܟ.

Ideſt. *Ne quempiam judices, cùm & iiſdem ipſe ſis obnoxius, de quibus proximum judicas.* Huic Adagio D. Ambroſius ſuffragatur ſuper illud *Beati immaculati*, hiſce verbis: *Iudicet ille de alterius errore, qui non habet in ſe ipſo quod condemnet. Iudicet ille, qui non agit eadem, quæ in alio putauerit eſſe punienda, ne cùm de alio judicat, in ſeipſum ſententiam ferat.* Ambroſio major Paulus Apoſtolus nos quoquè admonet Epiſt. ad Rom. capite 2. *Propter quod inexcuſabilis es ô homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipſum condemnas.* VALE tandem, ac ſcias, me hujus D. Auguſt. memorem

morem ſemper fuiſſe in hoc reſponſo conficiendo: *Foris terribilis perſonet increpatio: intùs lenitatis teneatur dilectio.* Iterum VALE.

LAudanda fiducia eſt, quæ exiſtimationem ſui certo pondere examinat, tantum ſibi arrogans, quantum à contemptu, & inſolentia diſtare ſatis eſt.

Valer. Maxim. Lib. 3. cap. 7.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

MAMBOR
LEGATORE DI LIBRI
CORSO 32